n Vdius tertius & nudius quartuſ nec ultra progreditur. Cur.n. non habemus Nudius ſecundus? quia uocabulum ſuum habemus quod eſt heri. De die autẽ q præceſſit heſternum ſcilicet heri: dicimus nudi⁹ tertius.i.abhinc tertius: ſcilicet nunc die tertio: & de die ſequẽti cras dicimus: & de die abhinc tertio perendie. Pridie ideſt una dies ante diẽ: poſtridie ideſt una dies poſt: ſiue in præterito: ſiue in futuro: Vtpridie quam

intrarem mare : ſerena lux fulſit : pridieq̃ intres Athenas : aquam non bibas .i. de die præcedenti illum diem quo mare athenaſq; ĩtraueras. Item. poſtridieq; mortem pater obiit : epulum feci : & poſtridieq̃ uxorem duxero nauigandum mihi eſt. ideſt. poſtero die ab illo quo pater mortem obiit : aut ego uxorem duxero: uel cum genitiuo : ut pridie illius diei : poſtridie illius diei quo hæc geſta ſunt. & cũ accuſatiuo. ut pridie kalendas qua propter non bene dicitur pridie & poſtridie huius diei : quia uocabula ſua habemus: ſcilicet heri & cras. ex pridie fit pridianus : ſed ex poſtridie non fit poſtridianus. ſed pro eo utimur craſtinus. per quod ſignificatur nõ modo dies ſequẽs hodiernũ: ſed etiã quẽlibet aliũ. Virg. georgicorum primo. Nũquã te craſtina fallet.

De quippe. utpote. profecto. utique. nempe. ſane. certe. uel certo. & nimirum.

q Vippe : utpote : profecto : & utique nempe : & ſane. certe : uel certo. & nimirum quaſi ſimilia ſunt in ſignificatione : ſane tum affirmatiue ſumitur : ut ita ſane : ſane uero: tum pro ualde : ut Cicero: homo ſane nobilis. ideſt ualde. certe quoq; tum affirmat : ut totũ eſt : tum pro ſaltem accipitur. quippe. utpote. frequẽtius cauſatiuæ ſunt : & ponuntur pro nam : & ponunt᷑ aliquando pro relatiuo : ut ea nos quippe qui nihil contemnere ſolemus : non ꝑtimeſcimus : uel ea nos utpote qui nihil contemnere ſolemus : non ꝑtimeſcebamus :

Similiter ponuntur ſæpius cum iſta dictione cum. ali quando nõ: ut Cicero: quippe cum uiderem hominesſ his circunfluentibus abundare. nonnunq̃ ponuntur ſine cum & ſine relatiuo: ut Quintilianus Si alienũ & igno tum tamen quæ cõmunis omnium mortalium quippe ſub uno parente natura cognitio eſt. de ut pote. Saluſti us. Antonius aberat ab illo ut pote eger & iacens. pro fecto: utique certe: nimirũ: nempe: ſane: ſine dubio af firmant: ſed profecto & nempe tam in reſponſione q̃ ſine ſolent adhiberi: certe autem ſine reſponſione ſolũ: ut Cicero. Quis hæc renunciat: profecto qui interfuit. Idem. apud quem dico hoc nempe apud eum & cætera. Sane quando iungitur cum adiectiuo: capit̃ pro ualde: ut ſane nobilis. i. ualde. Interdum cum ſuperlatiuo: ut Suetonius de uita Cæſaris. bellum ſane difficillimum. aliquando capitur permiſſiue. Quintilianus. Tulerit ſane filius noſter merito pœnas quaſi ita ſit: ut uis. ali quotiens capitur pro ſaltem. Certe iunctum cum ſcio & ſimilibus uerbis ſolet mutare e in o. ut certo ſcio. ſi cut dicimus manifeſto pro manifeſte.

De idem & is.

i N hoc pronomine idem adnotaui quiddam diſſi mile ab is. ibi poteſt addi copula. hic non poteſt quod tamen affirmare nõ auſim. ut quancunq; ĩ ſedem migrat apium rex. ĩ eam & apes ipſæ comitantur. at ſi dicam ĩ eandem: tollam copulatiuam: ſic. ĩ eandem apeſ

ipſæ comitant̃. Nã idem habet ĩ ſe uelut uim copulatiẽ.

De protinus. continuo. ſtatim.

p Rotinus: continuo. ſtatim ſignificãt ſubito. & qñ adiunguntur negationi (: quod pluribus ignotum eſt:) ſignificant non ideo. ut Quint. nec id ſtatim legẽti perſuaſum ſit: omnia quæ auctores dixerunt utique eſſe perfecta: neque id ſtatim, ideſt non ideo: & ſic ĩ cæteris. In continuo & protinus eãdem uim obtinet ĩterrogatio: ut Idem. continuo ne ſi ille ſtulte cogitauit: nobis quoq; ſtulte dicendum eſt. ideſt non ideo.

De facio cõiecturam & capio coniecturam & ſimilibus.

f Acio coniecturam: capio coniecturam: cõſequor cõiectura: colligo coniectura: coniectura ducor: coniecturo. coniecto. pro eodem accipiuntur.

De non me fallit & ſimilibus.

n On me fallit: non me præterit: nõ me fugit: nõ me capit idẽ ſignificãt. quod nõ ignoro.

De capio ſpem de te & ſimilibus.

c Apio ſpem de te: concipio ſpem: ducor ĩ ſpem: uocor in ſpem. idem quod ſpero aut ſperare in

cipio : repono in te ſpem : pluſq̃ ſperare eſt : nec tantũ ſpem habere ſed ẽt collocatã & ĩ ſpe repoſita cõqeſcere.

De in mentem uenit : & ſimilibus.

i N mentem mihi uenit : occurrit : mihi ſuccurrit: ſubit mihi pro eodem accipimus.

De tandem.

t Andem ornatus cauſa ponitur : & habet urgens qddam ac accelerans: fere &ponitur cũ ĩterrogatione: ut Cicero Qua tandem ſpe ſibi tam audacter obſiſtunt. & pro roſcio. Cum ab eo quæreret̃. qd tãdem accuſaturus eſſet. Alio modo tandem ideſt finaliter & deniq̃. ut Virg. Iam tandẽ italiæ fugientes prendimuſ oras. Eiuſdem ſignificationis eſt demũ ut idem. Tum demum optata gemina ſuper arbore ſidunt : & idem intelligatur de denique : ſed plærunque cum ſint multa enumerata: tunc ſubiungimus deniq̃. ſignificantes hoc ultimum eſſe omniũ : ut idem Cicero. cũ ſibi non multitudinem militum nõ idoneos imperatoreſ nõ pecuniã præſto eſſe uideretur: non denique ullam rem quæ ꝑtineat ad bellum adminiſtrandum.

De habeo.

h Abes ſententiam Brute de ratione dicendi. haec

habui que dicerem : hæc ſunt quæ putaui dicenda hoc tempore uerba ſunt Ciceronis. poſt materiam aliquã a ſe tractatam.

De quotiens. quando. nihilominus.

q Votiens. quando. nihilominus. pro præterea ali quãdo pro aliter ſæpe ab auctoribus freq̃ntatũ ẽ.

De alter & alius.

a Lter alterꝝ impellabat de duobus dicit̃. alius aliũ impellabat de multis dicitur. In plurali numero magis cum participio cõuenit q̃ cum uerbo : ut ibant in pugnam milites alius alium impellentes : idem de duo bus : ut prodibant gladiatores alter alterꝝ ĩtuentes. al ter ad unum de duobus refert̃ ſiue ad unum duaꝝ par tium. & aliquando capitur pro ſecundo ex pluribus : ut unus: alter: tertius : quartus. ſic autẽ loquimur de dua bus rebus tertiis. cum demonſtratione autem nõ loqui mur per alter ſed per pronomen: ut hunc illi præponã: & nota diligentiſſime. quod alius aliquando dicitur de duobus. i. quando plures res uni attribunntur. ut Salu ſtius loquẽdo de Cæſare & Catone ĩquit. genus. ætas: eloquentia prope paria fuere : magnitudo quoq; & glo ria : ſed alia alii. ſcilicet gloria fuit. alii ideſt Cæſari & alia alii ideſt Catoni. Aliquando alter de pluribus : ut unus : alter : tertius & alter : ſed nobis nõ eſt ꝑmiſſum

ſic loqui . ut Plinius libro xi°. inquit : De qua ex diuerſo cõueniunt alteri alterius ingenia . neſcio an ſit accipiẽdum ſic. unum uni ſicut alter alteri.

Quod tu nec faceres : nec ego ꝑmitterem nõ ẽ latinũ.

t V nec faceres : nec ego permitterem non latinũ eſt : cum utrunqꝫ nec ad illud tu referendum ſit. hoc modo. Tu nec faceres: nec facere poſſes: ſed ſi negatio anteponatˊ: bene diceretur. ſic . nec tu faceres : nec ego permitterem. Tale eſt: ſi quis dicat potes cognoſcere partim ex alioꝝ ſermone : partim te edocebit ipſe tabellarius . Atqui nõ ſic Cicero: ſed antepoſuit utrunqꝫ partim: ſic: partim potes cognoſcere ex alioꝝ ſermone: partim te edocebit ipſe tabellarius : quod ſi nobis incipere a partim licet : ad id tota oratio referẽda eſt : unde incipis. ita: potes cognoſcere partim ex alioꝝ ſermone: partim ex ipſo tabellario.

Puto te cum ſuperioribus litteris ĩtellexiſſe tum ex his intelligere poſſe latine dici . & non potes .

i Tem puto te cũ ſuperioribus litteris ĩtellexiſſe: tũ ex his ĩtelligere potes. dicendũ eſt : ex his ĩtelligere poſſe: præterea cauẽdum eſt: ne cõiungamus uerba quæ diuerſam regẽdi naturam habent. ſic: Tu mihi nec nocuiſti unquam: nec adiuuiſti mihi: nec profuiſti. nec ego defendi te : nec adiuui.

De diu.

d Iu nihil eſt q̃ longum tempus: ut diu nauigaui. ideſt per longum tempus: Non diu autem receſſi: ſed dudum aut nuper: Aliquando tamen capitur loco nominis: ut diu eſt. ideſt longũ tempus eſt. A diu ueniũt diutius. diutinus. & diuturnus: diuturnus uero ſignificat ſpacium: quod diu durat: diutinus ſimiliter: ideoq; cauendum eſt: ne uerba quæ momentaneã actionem ſignificant: his aduerbiis applices: quale ẽ iam diu publicatum opus. iam diu duxi uxorem: ſed dicere debes iampridem: licet recte dicatur: iamdiu eſt opus publicatum.

De compoſitis a per.

p Er præpoſitio nõnunquã in malum accipitur: ut piurus perfidusq;: qui iuſiurandum: fidemque uiolat: pertinax qui nimis eſt tenax: perfuga qui ad hoſtes tranſit: perfidus qui in omne ſcelus ẽ traditus: ꝑcitus qui iracundia furoreq; ẽ incitatus: peruerſus qui uerſatur ĩ malo: & a bono uerſus eſt: perpeſſus laborioſe paſſus: ſæpe accipitur quaſi per medium. ꝑlucidum id per cuius medium fulgor emanat: perſpicuum id ꝑ cuius medium: licet opertum ſit: oculos dimittimus: & per eius medium uidemus: ut criſtallus. uitrum. aq̃ & ſimilia. Perfluere per medium alicuius fluere. ut ſi lagena male materiata compacta ſit: profluit: ideſt per

eius mediũ humor cunctus influit. Perpluere per me dium alicuius pluere. ut hæc domus perpluit. hoc tec tum perpluit. Et notandum ē: quod cum per in eadem ſignificatione reponantur: tamen quædam uocabula cũ præ iunguntur: non cum per: ut præpotens: præcelſus: prefulgens: prediues: predulcis: predurus: p̄clarus: præcurtus. prælongus. & differt præ a per: quia præ uæhementius auget: nam prælongus homo: prælõga oratio quæ enormi longitudine eſt. Aliquotiens iũcta cũ uerbo pene nihil differt a ſignificatione ſui ſimplicis: ut præcludo ideſt claudo: p̄cello: premorior: precingo: cuius naturæ etiam eſt hæc præpoſitio re: ut reſeco: re cido: retingo: repurgo: refodio repromitto: reuinco.

De numeralibus.

u Tuntur oratores frequentiſſime in proſa his no minibus ſinguli: bini: terni &cætera. In plurali numero & ĩ ſua propria legitima ſignificatione: binus enim ſiue bini ſignificat ſingulis binos: uel ſingulis du os: ternus ſiue terni ſingulis tres: quaternus ſiue qua terni ſingulis quattuor & ſic de aliis. & hic eſt propius uſus. In ſingulari autem numero & quidem improprie magis poetæ utuntur & in aliena ſignificatione: ſepten⁹ enim gurges non ſingulis ſeptem: ſed tantũ ſeptem: & etiam plurali poetæ hac ſignificatione abutunt̄: ut per duodena regit mundi ſol aureus aſtra: duodena aſtra pro duodecim aſtra. Vtuntur ēt oratores freq̄ntiſſime

neceſſitatis cauſa ſingulari ſupradictoꝝ nominum : q̄n loquuntur per nomina carentia ſingulari : quæ talia ac ſibi ſimilia ſūt . liberi : codicilli : pugilares : nuptiæ : arma : caſtra : aut ſi non carent : ſuntq; uel diuerſi generis . ut nundinum & nundinæ . delicium & deliciæ : uel diuerſæ ſignificationis : ut hæc ædes & hæ ædes : uel diuerſi ē ſi gnificati ut epulum & epulæ . Neceſſarium ē autem in talibus nominibus dicere binos codicillos & ternos & quaternos : non duos : tres . quattuor ratione dictante . nam ſi de diuerſiſ codicillis loquerer : dicendum mihi ſit duos codicillos ſcripſit pater unum ad me : alteꝝ ad uxo rem . illud unum & alteꝝ non haberent ad quos referrē tur : cum codicillum ī ſingulari non reperiatur : dicendū eſt ergo unos . quod ſi unos : ergo & binos . & ſic intelli gatur in ſingulis . Nōnunq̄ oratores utuntnr etiam his nominibus in ſingulari ſed perq̄ raro : ut Plinius libro xxxvi°. Prodigioſa ſunt q̄ circa hæc tradit Theophra ſtus auctor : alioquin grauis ſeptuageno coitu durare li bidinem contractam herbæ : cuius nomen ſpeciemq; nō poſuit . ſeptuageno coitu . ideſt ſeptuaginta coitibus ꝑ ſingulas noctes . quare ut magis res aperta ſit : recenſea mus hæc nomina : dicemus igitur in plurali ſinguli : bini terni : quaterni : quini : ſeni : ſepteni : octeni : noueni : de ni : undeni duodeni : ternideni : quaternideni : qndeni : ſenideni : uel deniquaterni : deni quini : deniſeni : deni ſepteni : deniocteni : deninoueni & uiceni : uiceni ſingu li . . uiceni bini . uiceni terni . & ita deinceps . triceni autem mutat c . in g . quadrageni qnquageni : ſexageni

ſeptuageni : octogeni :non octuageni : octoginta enim dicimus : nō octuaginta : nonageni . centum : quæ quidem nō ſincopātur : ſicut cætera ſequētia . ſicut milleni triceni ꝑ tricenteni : quadrigeni : quīgeni :ſexceni : ſeptingeni . octingeni noningeni :uel nongeni . milleni : q̄re multi errant īſcribēdo treceni pro triceni ignorādo triceni pro trecētum eſſe ſincopatum: Et nota quod a prædictis nominibus ueniūt hæc nomīa: ſcilicet binarius . trinarius : ternarius : quaternarius uſque ad mille : quæ qdem noīa īdicant numeꝝ aliaꝝ reꝝ : quæ nō nomināt nō multiplicationem ſui ipſoꝝ . ut homo cētenarius . non quod ſint cētum homīes: ſed quod habeat cētum ānos: rurſus nō dicemus cētenariam libram : ſed cētuplam : nec cētenarium ānum ſed cētuplum: recte tamē dicim⁹ cētenarium numerum:nam numeruſ omīa cōplectitur. hæc nomina decimus : undecimus : duodecimus & ſic ordinatim cēteſimus:milleſimus dupliciter exponunt̄ . uno modo ſic centeſimus : milleſimus .i. qui ultimus eſt ex cētum & ex mille . alio modo ſic . triceſimus quadrageſimus . i . qui continet triginta uel quadraginta . ut hoc aruum attulit cēteſimum fructum . ideſt; fructum centenarii numeri . & hac ratione appellata eſt quadrageſima: quod quadraginta dies cōtinet .

Ars ludrica .

L Vdicra ſecundæ declinationis & nō tertiæ ut ī lege illa : qui artem ludicram ideſt iocoſam .

De exeuntibus in rius uel ĩ rium.

n Omina terminata ĩ arium plærunque ſignificant locum: ubi aliquæ res reponuntur. ut tabulariũ locuſ ubi tabulæ & ĩſtrumẽta & litteræ reponũt'. ſacrarium ubi res ſacræ: armariũ ubi reponuũtur libri: cætera que huiuſmodi. armamẽtarium ubi arma. atramẽtariũ uaſculum. quod cõtinet atramentum. calamarium ubi calami. penarium ubi penus hoc eſt edulia & ad uictũ pertinẽtia. pomarium ubi poma: ærarium repoſitoriũ æris. ideſt nũmo℞ ſimiliumque rerum precioſa℞ atque opum: pennarium Teca pẽnarum ubi pẽnæ reponuntur: Viuarium ubi ꝯtinẽtur uel aues uel apes uel piſces: uel feræ quæ duntaxat ad uictum ſpectãt: ſed hæc quæ ſequuntur: aliter capiuntur. nam donaria ſignificant ipſa dona: Seminarium ſemen ipſum: plãtarium plantam ipſam. carnarium carnem ipſam. & ſic cauendum eſt ĩ uſu ho℞ nominũ. librarius ꝗ libros trãſcribit: uel aptat.

De euentu. iuſſu. permiſſu. Iugero.

e Ventus. iuſſus. permiſſus. in ſingulari maſculini generis ſunt & quartæ declinationis: In plurali neutri & ſecundæ declinationis. Tul. Si euenta quærimus: quæ exquiruntur auibus.

De adiectiuis in bundus.

n Omina in bundus ut Caſellius iuriſconſultus & .A.Gellius ſentiunt: idem ſignificant: quod pti cipia præſentis temporis cum quadam uæhementia. ut uitabundus. ideſt uitans. moribundus ideſt moriens. unde patet falſum eſſe. quod in ſe habeāt ſimilitudinē. ut uitabundus ideſt ſimilis uitanti. Poterat tamen. A. Gellius accomodatum magis etiā producere exemplū quale apud Saluſtium in Iugurtino. Ipſe quaſi uitabū dus per ſaltuoſa loca & tramites exercitum ductare. Si huiuſmodi nomina in bundus ſignificant ſimilitudinem quid ita adderet quaſi? quod ſimilitudinē imaginemq́ ſignificat.

De ablatiuis in abus nominum exeuntium in. a.

h Aec nomina primæ declinationis tantummodo faciunt datiuum & ablatiuum in abus: dea: filia: nata. equa: mula. liberta: cætera autem faciūt p̄dictos caſus in is Cicero ad uxorem & filiam ſcribens duabus animis ſuis dixit: & Curtius de matre & uxore Alexā dri dominis dixit & non dominabus.

De adiectiuis in tilis.

n Omina in tilis: in ſilis: ī xilis plærunque ſimilem ſignificationem ſuoꝝ participioꝝ. retinent: a qui bus naſcuntur: & ī quæ reſoluuntur: Vas fictile quod fictum eſt: Penſilis res quæ penſa eſt: flexilis ramus

qui flexus eſt. & ſi deſcendunt a neutris: reſoluuntur ĩ participia præſentis temporis: ut anima uolatilis quaſi uolans. altilia quæ aluntur. & aliquando autem ſupra dicta omnia reſoluuntur in participia præſentis temporis. qualia ſunt neutra. ut anima uolatilis: quaſi uolans. & quidam uolatilia uolucres uocant: quia uolant. ut altilia animalia: quæ aluntur. Seſſiles lactucæ quaſi ſedẽtes. quod licet a participio non ueniat: tamen eiuſdem naturæ eſt: cum in ſignificatione cõſentiat.

De Gerundiis.

d Ifferunt gerundia a participiis: quod ipſa ſignificãt rei adminiſtrationem ſine tempore. Illa uero tempus ſine rei adminiſtratione. ut tenet me occupatio iuriſdicendi: gerundium eſt. nec tempus ſignifico futurum: ſed rei adminiſtrationem. hoc eſt in iure dicẽdo. Participium eſt futuri ſignificatiuum ſine adminiſtratione rei. multa ĩueniuntur: quæ a uerbis non ueniunt: tamẽ participiis ſimilia ſunt ſignificatione: ut participia ĩ nomen tranſeuntia & ſibi ſimilia: ut putaui ad te ſcribẽdum: exiſtimaui hanc rem tractandam. cenſui tibi illud ſignificandum. ideſt dignum ſcribi. tractari. ſignificari. quæ oratio idem ualet: quod ſcripſi: tractaui. ſignificaui. ſed non ſine deliberatione. tamen & inconſulto. Antiqui autem oratores dicebant oratum te uelim. rogatos uos uelim. pro eo quod eſt oro & rogo.

De minus.

m Inus pro non ſemper fere accipitur. frequentiſſime tamen iunctū aut cum ſin aut cum quo pro ut. ut ſin minus ideſt ſi nō. quo minus ideſt non. ſicut quo ſecius. etiam pro ut non.

De demum.

d Emum iunctum cum is ea id uel cum ita: accipi ſolet pro ſolum. Cicero in Saluſtium. Ea demū magna uoluptas eſt. ita demum ſatiſfacias. & quandoq; capitur pro omnino. ut Plinius de hirundine dicenſ: ea demum ſola auium nō niſi uolatu depaſcitur.

De potus & potio.

p Otus uini & aquæ. potio uero a medicis datur ægrotāti: nōnunq̄ tamen unū pro altero accipit᷑.

Quod omnis genitiuus aut actiue capitur aut paſſiue aut poſſeſſiue.

o Mnis genitiuus aut actiue capit᷑ aut paſſiue aut poſſeſſiue: actiue. ut prouidentia dei. quia deus prouidet: paſſiue. ut timor domini: quia dominus timetur: poſſeſſiue: ut ſedes domini. regnum dei: Vnde notandum eſt: ne in his genitiuis utendis decipiamur. quod hi tres genitiui ſingulares trium pronominū mei

tui ſui ſemper apud auctoreſ accipiunt̃ paſſiue. alii uero tres .ſ. mis. tis. ſis ſemper poſſeſſiue. quanquã iam ex oluerint. ut amore tui facio. i. quia te amo. Teren. hoc unum ſcio hanc meritam ut memor eſſes ſui: ex quo patet non latine dici mei filius. ut Priſcianus ait: nec ſi gnum mei. ut notarii faciunt: ſed tunc recurrendum ẽ ad poſſeſſiua ut meus filius. ſignum meum. Tul. ad Atticum. Solius enim peccatum corrigi non poteſt. & in pſalmo. Audi uocem mei clamãtis ad te. & ĩ euange lio. Tuam ipſius animam pertranſiuit gladius: Simili ter in plurali hi duo genitiui .ſ. noſtri & ueſtri ſemper paſſiue. ut habete curam noſtri ſicut nos habemus ue ſtrum. Non autem nemo noſtri nec nemo ueſtri: Et notandum quod ĩ his genitiuis tam nominũ quã prono minũ ẽ ĩtellectus ambiguus: ut amor dei. caritaſ patris: ſuſpicio uxoriſ. dubiũ ẽ de utro loqueris: an de amore quẽ deus ĩ nos. an de illo quẽ nos ĩ ſe habemus. & ſic de aliiſ. In ꝓnominibus autẽ faciũt dubitationẽ hæc. que ſe quunt̃: qa ĩdifferẽter poni poſſũt. cauſa mea: & cã mei: fama mea & mei: imago mea & mei: poteſtas mea & mei. Item notandum: quod hi genitiui mei tui ſui: no ſtri & ueſtri: ſiue per ſe ſiue ĩ poſſeſſiuis incluſi nunq̃ ſuſtinent conſortium ſubſtantiui: Vnde male dicitur: Cauſa mei Boni Accurſii ſic feciſti: & ſolius Aſelli tui peccatum corrigi non poteſt: ſed ſemper abiici enda ſunt ſubſtantiua. Iunguntur autem recte cum par ticipiis. gerundiuis: & frequentiſſime cum his tribus adiectiuis unius ſolius ipſius: ut in exemplis prædictis:

ſed ſui aptius iungitur cum cuiuſque. ut uellem noſſe. quæ ſit ſua cuiuſque ſententia. Multotiens tamen iungitur: & recte quidem: cum his adiectiuis. duo. tres. quattuor. omnis. plus. & ſi qua adhuc ſunt. ut ueſtram duorum uel trium uel omnium uel plurium operam deſydero. pro ueſtrum. Notandum eſt quod mea tua ſua & cætera. cũ his uerbis ĩtereſt & refert non a parte ante ſed a parte poſt ordinantur. nõ aliter quã cum dicimus: hoc intereſt illius. quaſi: hoc eſt officium illius: ita hoc ĩtereſt mei. ſi liceret dicere: pro quo dicimus mea: quare illa uerba perſonalia eſſe quis dubitat: cum omnia ſint plena exemplorum. ſed ſufficiat unum. Cicero pro Plancio. Sed quia mea minus ĩtereſt: id te forte magis delectat. ex quo argumento apertiſſime probatur. illos genitiuos ſuperius numeratos ſemper poni paſſiue: Vnde illud colligitur ad hanc ĩterrogationem. Cuius hominis eſt hoc opus? reſponderi debere: meum tuum ſuũ. non mei tui ſui. Virg. Cuium pecus an Meliboei.

De noſtras. ueſtras. cuias.

n Oſtras: ueſtras: cuias: non tantum patriam nationẽq; ĩnuunt: ſed etiam partes & quaſi ſectam: ut cuiates philoſophi uos eſtis: ſtoici ne: an academici: an peripatetici: an noſtrates: an epicurei.

Cum quibus præpoſitionibus iungatur gerundium.

m Edium gerundium iungitur frequenter cum his præpoſitionibus: ab: ob: propter: inter: in: raro cum ante. ut ego ueni ad te uel propter te redimēdum. Inter nauigandum pro in nauigando. Virg. Et īteragē dum Occurſare capro cornu ferit ille caueto: & ad capi endum hoſtem: & ī capiēdum hoſtem: ad te domandū. Vltimo gerundio adduntur hæ præpoſitiones in freq̄n ter: ſed certe rarius de e. ex: a. ab: & cum: in. ut ī naui gando. Quinti. de apte dicendo Tul. Quid cogites de tranſeundo In Epirum: ſcire ſane uelim. ex defenden do q̄ ex accuſando uberior gloria comparatur. Cicero. Siue amor ſiue amicicia: utrunq; enim dictum ab amā do. Plinius poſterior. cum a ſcribendo uacaret. Quin tilianus: ſed ratō recte ſcribendi iuncta cum loquendo. poteſt item poni abſolute ſine præpoſitione: ut hos ac cuſando: illos occidendo totam ciuitatem labefactaſti. hoc gerundium ſoluendo non ſolum ſemper ordinatur ſine præpoſitione. & ſignificat ſatiſfacere pro eo: quo obliges: ſiue pro pecunia ſiue pro remuneratione: ſed ſemper uult poſt datiuum: ut Quintilianus. Pauperi ſoluendo nō ſumuſ iniqui. Notandum quod quodlibet gerundium elegantius poteſt transferri ī participium tranſiens in uim nominis: exemplum primum. ut ego ſum hic cauſa fruendi principatu: prouincia: ſiue impe rio: gerundium eſt. & mutatur ſic. Ego ſum hic cā fruē di principatus & fruendæ pecuniæ: fruendi imperii. In plurali ſimiliter moleſtia educandaꝝ filiaꝝ locandarū filiaꝝ: colendoꝝ prædioꝝ. Exempli ſecundi. Eo ad

ſalutandū fratrem ,ſororem. & ſydus mutatur. Eo ad ſalutandum ſydus & ſororem: In plurali.eo ad ſalutandos fratres: ad ſalutādas ſorores:ad ſalutanda ſydera. Exemplum tertii. Tu delectaris inferendo crimine ſeu criminibus inferendis. Item da operam rebus agendis: aiunt agēdis eſſe gerundium datiui caſus & numeri pluralis: Item hæc uerba quæ ſequuntur:ſcilicet:loco mando: curo: habeo: pro debeo:facio:rapio:reſeruo: mitto: recognoſco: emendo: cōſolor:punio:ut aiunt:conſtruuntur cum gerundio ſine præpoſitione. Sulpicius. locarent ſepulturam faciendam. Suetonius mandabat gladiatores ui rapiendos: reſeruandoſque. Cicero litteras ad te miſit mittendasque curauit. Plinius. petis ut libellos recognoſcendos emendandoſq; curem. Suetonius ut conſolandoſ eos magis imperator quā puniendos habuerit ideſt debuerit.

Quid inter amandum & amatum interſit.

i Nter amandum & amatum hoc ītereſt quod ſupinum ſemper ordinatur cum uerbo ſignificante motum: gerundium non ſemper. Saluſtius legatos ad iugurtam queſtum de iniuriis miſit.

De infinitiuo modo actiui.

i Nfinitiuus modus actiui ſic ordinatur. Video te accuſatum ire me, nunc præſentis temporis eſt:

Video te accuſatum me eſſe. nunc futuri temporis eſt.

De infinitiuo paſſiui.

i Nfinitiuus paſſiui ſic ordinatur elegãter. Video me abſte accuſatum iri in quocunq; uerbo: Video me abſte accuſatum eſſe in omnibus uerbis: præter illa quæ reſpiciunt futuꝶ: ut timeo: metuo: Vereor: ſpero: cupio. Quare male dicitur. Cupio culpam meam celã dam eſſe. ſed celatum iri benedicitur.

De uiſu & auditu quando ſunt noĩa & quando ſupina.

d Ifferentia eſt inter uiſu & auditu nomina: & uiſu & auditu ſupina: & inter cætera ſimilia: Nam qñ ſunt nomina regunt caſus: & reguntur etiam a uerbo & participio: ut careo toto uiſu oculoꝶ antea priuatus au ditu aurium: Quando autem non poſſunt regere caſus & cætera. ſunt ſupina: ut facilis uiſu eſt. ut uideatur. affa bilis dictu: ut dicatur. incredibile memoratu. ut me moretur. digna auditu: ut audiatur.

De participiis cum ſubſtantiuantur.

p Articipia cũ ſubſtantiuantur neutri generis ſunt: ut accidens: cõtingens. antecedens. & conſeq̃ns: decens: præſens: continens apud rhetores pro firma mento rationis: ſed oriens: occidens: profluens pro

pro flumine & confluens maſculini generis: Continẽs pro terra quæ non eſt inſula: ut de Sicilia ad continen tem parum ĩtercapedinis eſt: & animans feminini ge neris ſunt. Plinius maior libro ſexto Alymnum a pro xima continente abſt: Cicero. requirat atque appetat: ad quas ſe applicet ſui generiſ animantes. Nonnunq̃ tñ hoc nomẽ ĩ neutro genere reperit̃: ſed magis ĩ plurali. iſtud participium conſonans aliquando capitur ſubſtan tiue pro littera non uocali: Prægnans neſcio unde ſit participium.

De circiter.

c Irciter ad tempus & ad numeꝝ & ad locum perti net: ut Circiter kalẽdas ianuarias: circiter duum milium militum: circiter decem miliariorum. Caſſius Emina. lapidem fuiſſe quadratum circiter in medio ar cæ iunctum candelis quoq; uerſum.

De hei & heu.

h Ei & heu idem ſunt: ſed hei cum datiuo: heu cum accuſatiuo iungitur: ut hei mihi: heu me.

De en.

e N cum nominatiuo & accuſatiuo. Ecce apud ora tores raro cũ accuſatiuo ſed ſemper cũ noĩatiuo.

De eccum & ellum.

e Ccum & ellum cum accuſatiuo. & reſoluuntur p aduerbia: ut Eccum parmenonem. ideſt ecce hic parmeno Ellum parmenonem: ut ecce illic parmeno.

De hac oratione Me ne incœpto. & ſimilibus.

u Irgilius. Me ne incœpto deſiſtere uictam: Nec poſſe italia teucrorꝝ auertere regem: Cicero me miſerum in tantas calamitates mea culpa incidiſſe. In his & ſimilibus orationibus intelligitur. uere ne ita eſt: me non poſſe Italia auertere regem teucrorꝝ. Plinius junior. hominem ne romanum ita græce loqui. ideſt uere ne ita eſt.

Iſte eſt nimis iuuenis ad dandum ſibi tale negotium: non latine dicitur.

m A le dicitur. Iſte eſt nimis iuuenis ad dandũ ſibi tale negotium: ſed recte dicitur. Iſte eſt nimis iuuenis aut iunior: q̃ ut ſibi detur tale negotium: uel ē iunior: quam cui tale negotium det̃.

De in diem & in dies.

i N diem & in dies differunt: nam in diem ē quaſi præſentis diei habere rationem: nihilque cogitare de craſtino. Vt ſaluſtius. panem in diem mercari: ſed plærunque cum hoc uerbo uiuo coniungunt̃: ut in

diem uiuit. In dies eſt idem quod quottidie ſed ꝓprie cum quodam incremento: ideoq; plærunque iungitur cum comparatiuo: ut cum ĩ dies malum arctius premeret: aut cum uerbo ſignificante ĩcrementum: ut Liuius creſcente in dies multitudine. quæ quidem exempla licet etiam dicere per quottidie & per ſingulos dies: cũ idem ſignificent. ut Cicero ad Atticum. quottidie uel potius in dies ſingulos breuiores litteras ad te mitto. Eandem differentiam habent ĩ horam & in horas: quã habent in diem & in dies: niſi quod non cõiungitur ad ĩcrementum. Cicero in philippicis hæc ait: nec qui in horam uiuunt: non modo de fortunis & bonis ciuium: ſed ne de utilitate quidem ſua cogitauerunt. Virgilius. Gallo cuius amor tantum mihi creſcit in horas.

De propediem.

p Ropediem ē quaſi prope ĩ dies: quando hoc fiet.

De in primis.

i N primis potens ſi de maſculino loquaris: ĩtelligitur inter primos: ſi de fœmina. inter primas. ſi de neutro inter prima.

De facio te certiorom.

f Acio te certiorem non certum dicimus duntaxat

in proſa. ſemper per hoc uerbum facio. ſimiliter in ſequentibus orationibuſ dicimus: facio tibi gratum: facio ludos: rem diuinam: ſacrificium: ſollemnitatem: iter: uiam. nunquam ago dicimus: Item feci iacturam. damnum. naufragium. nunquam paſſus ſum dicimus: feci tibi copiam rerꝝ mearꝝ: feci tibi poteſtatem audiendi res meas: nunq̃ dedi: aut præſtiti copiam: feci lucrum: non autem acquiſiui lucrum. fecit urinam. ſtercus. nõ aũt emiſit: feci fugam. quod ego fugi alterꝝ: non quod alter me fugerit.

De frango.

f Regi nauim. brachium. eleganter dicitur: ſed in eleganter nauis uel brachium eſt mihi fractum. Ter. fregit nauim apud Andriam.

De accipio.

a Ccepi moleſtiam: cladem: contumeliam: uulnus: iiuriam. dedecus. ignominiam: Non autẽ paſſus ſum: accepi etiam uoluptatem: gaudium. læticiã.

De conuenit hoc mihi.

c Onuenit hoc mihi. aut conuenit hoc nobis. ideſt decens & conueniens eſt. Conuenit hoc ĩter nos. ideſt controuerſia caret: Conuenit mihi hoc tecum. i.

ſine controuerſia eſt inter nos : quod ego dixi. cõuenit tibi mecũ. i. ſine ɔtrouerſia ẽ inter nos: quod tu dixiſti.

Q Videas. uidere licet. & reliqua ꝓ eodem accipiunť.

u Ideas. uidere licet. licet cernere. cernere eſt. ꝓ eodẽ accipiũť: Cicero: licet ora ipa cernere oratoꝝ.

Veni in opinionem.

u Enio in opinionem tam actiue q̃ paſſiue dicimus. Venio in ſuſpicionem. in obliuionem: ĩ uitupationem ſemper paſſiue accipi ſolent.

Loco patris.

h Abeo te ĩ patrem: tu es mihi in filium: Accipio te in fratrem. ut ex illa hora Accepit diſcipulus matrem domini in ſuam. ſic loqui placuit eccleſiaſticis noſtris more græcoꝝ: unde hæc ſumpta ſunt. Nobis autem ſic loqui licet: habeo te in patris loco uel pro patre. Tu es mihi loco filii: uel pro filio. accipio te loco fratris uel ꝓ fratre: Si uero de patre & filio loquamur: ſic recte dicẽdum eſt. Ego ero illi pater: Ipſe erit mihi filius: nõ aũt ego ero illi ĩ patrẽ. & ipſe erit mihi ĩ filiũ.

Quot modis una eademq; res dicatur. quæ & quem finem ſibi quis proponat.

e Picurus omīa terminat uoluptate: Zeno cuncta finit honeſtate. Hieronymus uniuerſa deterīat: definitque indolentia corporis. Carneades ſingula metitur naturæ bonis. Ariſtippus nihil niſi ad cōmodum ſuum refert. Pyrrhon nihil relinquit: quod non reuocet ad ſcientiam. Ille ſummum bonum ī gula conſtituit: ego bonum ipſum pono in dilectione dei. tot igitur uerbis unam eandemq; rem declaramus.

Nihil ad Catonem.

s Olent auctores his orationibus uti. Cæſar & Cato fuerunt uiri præſtantiſſimi ſed nihil ad Catonem ideſt nihil ad comparationem Catonis. Tale eſt iſtud: quod illud: cum ſubintelligitur pertinet. ut quid ad te: ſubintelligitur pertinet.

Interagendum: interactionem. in agendo.

i Nteragendum. interactionem. in agendo. Intercenandum: inter cœnam. in cœna. ſuper cœnam. Interconſulendum ſiue cōſultandum. inter conſilia ſiue conſultationes in conſulendo ſiue ī conſultando.

Facio & afficio.

f Acio tibi iniuriam: facio tibi contumeliam: afficio te iniuria: afficio te contumelia: facio tibi mo

leſtiam non ita libenter dixerim. ut afficio te moleſtia.

Memoria teneo memoriter pronuncio:

m Emoria teneo. non memoriter teneo. Narro uel pronuncio memoriter. nõ memoria. complector tamen memoria & memoriter. repeto memoria & memoriter. Eſt enim memoriter: quod litteratores noſtri imperiti dicunt cordetenus & mentetenus.

Impono tibi hoc oneris.

i Mpono tibi hoc oneris notum eſt: quid ſignificet. ideſt afficio te hoc onere. impono tibi: idem eſt: quod decipio te, a quo uerbo uenit hoc nomen impoſtor ĩpoſtoris: dicũtur. n. impoſtores q alios uerbis magna pollicẽtibus ĩcantatiõibuſq; ſeducũt: & decipiũt.

Ad me ſpectat.

a D me ſpectat ideſt ad me pertinet: ad mortem ſpectat: ideſt ad mortem tendit. Cicero libro tertio officiorum. ad extremũ ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit: patriæ ſalutẽ anteponit ſaluti patris. Quintilian9. & quod ad peſſimum ſpectat euentum.

De committo cũ negatione uel quamobrem.

n Otandum quod hoc uerbum cõmitto cum negatione ſequente: uel quamobrem ſiue ſimili dictione; ſemper in oratione accipitur in malam partem: ut Cicero. Non cõmittes: ut dicendum ſit: non putarã. Idem conſyderare debes: nihil tibi eſſe cõmittendum: q̃obrem eorꝝ quos laudas: te non ſimilimum ꝑbeas.

Non me occupato: ſed occupatus latine dicendum eſt.

m E occupato in negotiis ſtudere non poteram: uel me occupato ĩ negotiis libertas mihi ſtudendi nõ erat: rariſſime latine ſic loquimur. fruſtra. n. ponunt̃ illi ablatiui. ſed modo elegantius occupatus ĩ negotiis ſtudere non poteram: uel mihi in negotiis occupato libertas ſtudendi non erat.

De intercedit.

i Ntercedit mihi tecum amicicia: affinitas & neceſſitudo: ideſt amicicia: affinitaſ: neceſſitudo: ĩter noſ eſt media quædam: quæ cõciliat. Cato interceſſit. hoc ẽ in medium ſe uerbis & ui oppoſuit.

Hic non eſt cum illo comparandus.

h Ic nõ eſt cum illo comparandus: melius de minore ad maiorem dicitur: q̃ e diuerſo. ut Virgilius. cum Homero: non Homerus cum Virgilio.

Amare īuicem. mutuo. pariter. inter ſe.

a Mamus nos inuicem. amatis uos mutuo: amant ſe pariter: cum uero adhibemus præpoſitionem inter: tollimus accuſatiuum: quĩ regitur a uerbo. ne turpe foret: ſi replicaretur. ſic: Amamus īter nos: non autem amamus nos inter nos. amatis inter uos: amant inter ſe. Cicero de amicicia. Nec ſolum īter ſe diligent: & colent: ſed etiam uerebunt̃.

Qualiter ſit accipiendũ ſupiorib⁹ dieb⁹ ueni ĩ cumanũ.

s Vperioribus diebus ueni in Cumanum: & iterum. paucis diebus pontifex factus eſt. & ĩ futuro. paucis diebus eram tabellarios miſſurusus. hæc Cicero. & iteꝝ triduo aut ad ſummum quatriduo perituꝝ. non eſt accipiendum per ſuperiores dies & ꝑ paucos dies: per triduum & quatriduum. Aliquando in huiuſmodi genere ſermonis omittimus poſt: ſic. ītra decem dies q̃ uenit: confecit omne negotium: in paucis diebus q̃ Rhodum appulit: uxorem duxit: ideſt poſt quam appulit: poſtquam uenit.

Quid eſt animal niſi corpus cũ anima cõcretum recte dici. Quid ē animal quam corpus: non recte.

q Vid eſt animal niſi corpus cum anima cõcretum recte & latine dicitur. Quid eſt animal q̃ corpus

cum anima concretum non recte: adde aliud. uel aliter. uel ſecus. & utroque modo licebit dicere. Quid aliud ē animal q̄ corpus uel niſi corpus. Cicero. Quid aliud gigantum more bellare cum diis: niſi naturæ repugnare. Idem fit per comparatiuum. Quid eſt melius quā gaudere uel niſi gaudere.

De prӕterquam & niſi. & quā. tantum. & ſolum.

p Rӕterquam eandem uim proprie obtinet quam niſi: cuius exempla uelut facilia prætermittamus: illud tamen unum admonentes ubi eſt præter: ibi locum habere præterq̄: ut nullius rei ſum auarus p̄ter laudē: uel præterq̄ laudis: uel niſi laudis: nulli places præterq̄ mihi: uel præter me uel niſi mihi. quæ dictiones exceptiuæ ſunt: nec orationem unquā uniuerſalem eſſe permittunt. quod etiam facit tantum & ſolū: ſolummodo & tantūmodo dictiones excluſiuæ. præter ſemper accuſatiuo iungitur. niſi & præterquam & quā caſus ſimiles referunt.

Hic mihi gloriatur. & ſimilia.

h Ic mihi gloriatur: ecce tibi Franciſcus Marlianꝰ noſter: tu mihi ſemper dormis: ille mihi aſſidue ſedet: ille datiuus mihi & tibi: nec ad me: nec ad te nec ad quenq̄ refertur. ſed ſic uulgo utimur.

De auſculto.

a Vſculto te.i.audio te: Auſculto tibi.i.obedio tibi: & ſic de audio. ut audio tibi.i.obedio tibi.ſed hoc raro īuenitur: quia apud ſcriptores proſæ orationes ta le genus non memini me legiſſe:inde eſt quod obedio unum ex compoſitis ab audio: poſtulat datiuum.

De incumbo remis.

i Ncumbo remis ſolummodo dicimus & ſine trāſ latione: cum aliis autem dictionibus tripliciter uariamus: & per tranſlationem ut incumbo ſtudiis.i. incumbo ad ſtudia: & in ſtudia: Nam ut cum remiges incumbunt remis: ſignificat̃ diligentia & conatus: ita cū accuratius quid mente agimus: incumbere dicimur. quēadmodū e cōtrario ſupini dicūt̃: q neglīgēter agūt.

De oportet legere ſeu legi libros.

o Portet legere ſeu legi libros. expedit euoluere ſeu euolui.auctores. utile eſt cognoſcere: ſeu co gnoſci plurima.hoc modo per paſſiuum magis ars grā tica: ſed per actiuum magis auctoritas probat.

De non uidetur tibi quod benefaciam.

n On uidetur tibi quod benefacia:& mihi nō uidet̃

quod bene loquaris: ruſticanus hic ſermo eſt & agreſtis: eruditi enim ſic loquuntur: non uideor tibi bene facere: & tu non uideris mihi bene loqui.

De traiicio.

t Raiicio exercitum. ideſt tranſporto exercitum transmare uel tranſ flumen: traiicio mare uel flumen: ideſt tranſeo. aliquando utrunq; coniunctum. ut Liuius. Traiecit copias hiberum.

De do tibi litteras.

d O tibi litteras tanquam tabellario: do ad te litteras. ſ. ad te perferendas: Aliquando hæc duo cõiunguntur. ut Cicero. Dedi illi ad te litteras: ergo qui mittit litteras. dat cui litteræ dantur: ſi perfert: reddere dicitur. ſicut ille: ad quem dantur: accipere.

De refero tibi.

r Efero tibi: ideſt narro: refero ad te. i. conſultationem fero. Virg. tertio æn. Continuo ad troiæ proceres primumq; parentem monſtra deum refero & quæ ſit ſentẽtia poſco: ſi improſa ſemper cũ ablatiuo. de omnibus. his referam ad ſenatum. i. ad conſilium ſenatorum feram aliquando ponitur pro reporto. ut Quintilianus ad patrem. arma non rettuli. i. reportaui.

De decet. iuuat. & conducit.

d Ecet. Iuuat: couducit pro utile eſt. & habent ſua perſonalia, ut hæ ueſtes decēt nos: cibi iſti iuuāt te: ſtudia ſecreta conducunt.

De compoſ mentis.

c Ompos mentis: compos animi: compos ratioīs: compos ſanitatis. i. quod habeo mentem: animū: rationē: ſanitatē: ac compos uoti: compos uictoriæ: ꝯpos optati: qđ hæc opa mea atq; labore obtinui; obtineoq;.

De uter utrum accuſat.

u Ter utrum accuſat latine dicitur: ſed quando cō ponitur cum que aut ne i ordinatur cum hac dicti one alter. ut Cicero. Vterque ſuo ſtudio delectatus cō tempſit alterꝝ. Quintilianus: Cum enim uterq; alteri obiiciat palamq; utrunque feciſſe.

Quod neuter neutri non latine dicatur.

d E neuter. Quintilianus. ita fiet: ut cum æquali cura linguam utranque tueri cœperimus: neutra alteri officiat. quare male dicitur: neuter neutri bellū ītulit: ſed neuter alteri. Illud autē Terentii in phormi one. Vterque utrique eſt cordi: hoc fit more poetico:

Item ut dicimus Vter utri inter duo: ita quis cui īter plu ra ut Cicero. Quid cui ponendum ſit.

Salue tu primus omnium patriæ parens appelatus.

ſ alue tu primus omnium patriæ parēs appellatus. adiuua me tu uir optimus: & ī pſalmo. Domine deus noſter. ī his & ſimilib9 orationibus ītelligit̃ relatiuum qui: & Verbum es: ut quis es uir optimus. ſed melius totum ponitur in uocatiuo: ut adiuua me tu uir optime.

De tanti & quanti.

t anti & quanti & ab eis compoſita tātidem: quantilibet: & quanticūque: & hæc comparatiua pluris & minoris ſola quærunt in genitiuo caſu adiungi cū his uerbis emo. uendo: mercor: comparo: æſtimo: taxo: liceor. addico: diſtraho: metior. pro æſtimo: conſtat: conduco: loco fœneror. pango. paciſcor: pango quando facit pepigi: poſtulo. cōdemno: & ſi qua ſūt alia ſimilis ſignificationis. ut Ter. in Eunucho. Quid agas: niſi ut te redimas captū quam queas minimo: & ſi nequeas paulo: at quanti queas. id eſt tanti te redimas: quanti queas. Cicero aiebat te tantidem æſtimaſſe quāti ſacerdotem. Iuuenalis. quanticunq; domus conſtet. Cicero Nō pluris uendo quam alii: fortaſſe etiā minoris. Alia autē nomina quæcunque ſint ī ablatiuo cū prædictis uerbis ſemper aſſociantur. ut Vir. Vēdidit hic auro patriam domi

numq; potentem: Exanimumq; auro corpus uendebat achilles. Male enim diceretur. Vendidit hic patriam auri: Et notandum eſt quod quãdo prædicta quattuor nomina ponuntur in genitiuo: ſemper eorum ſubſtantiua abiiciuntur. Vnde male diceretur. Quãti pretii emiſti: Quotiẽs autem hæc nomina ſubſtantiuis maritantur: formam naturalem & legem uerborum cuſtodiunt. excepto tantidem quod ablatiuo caret: ut Iuuenalis. Quãto metiris pretio. ut colligatur. multotiens in interrogatione reſponſionem fieri per diſſimilem caſum: ut quãti emiſti? reſpondetur maximo pretio. eadẽ tãti & quanti & duo poſitiua magni & parui ſola in genitiuo iungũtur cum illis geminis uerbis intereſt & refert: ut magni refert & parui refert. & non modo id naturæ habent cũ his duobus uerbis uerum etiam cum multis aliis ut magni æſtimo: paruifacio: paruipendo: quantifacis. tantifacio: ſed cum huiuſmodi uerbis nonnũquã alia nomina iunguntur: ut plurimi æſtimo.

Meo nomine.

m eo nomine: tuo nomine: hoc nomine pro mea tua hac; cauſa. hoc eſt reſpectu: capiuntur.

De Velut & ſicut.

u elut. ueluti. quaſi. amquam. ceu. proprie. imaginẽ innuunt: ſicut & ſicuti ſimilitudinem. exemplum.

Tu iraſceris tanquam leo.quaſi canis:uelut urſus:metaphora eſt. Tu paſceris ſicut uel ſicuti leo:comparatio ē.ibi enim dico te leonē.hic autem te leoni ſimilem. Vt & uti communia ſunt & ad metaphoram & ad ſimilitudinem:ideoq; his recte utimur inutroq;. Vt præterea accipitur pro quippe ſequente relatiuo qui: Vt nec ignoro igitur quos tranſeo:neq; uti damno:ut qui dixerim eſſe ī omnibuſ utilitatiſ aliquid. Vt etiā multotiēs ponit̃ ꝑ q̄ uel q̄tū ſeq̄nte ita uel nō. Cicero de oratore hoc ut breuiſſime dici poteſt:ita a me dictum eſt.ut inquantum.

De quod & quo.

n emini dubiū eſt:quod reſolui pro quia: & quo pro ut.his dictionibus quod & quia cauſa efficiens demonſtrat̃. Iſtæ autem quo & ut competunt cauſæ finali.exemplum.non caſtigo te: quod odio habeam ſed quo te meliorem efficiam. In primo membro eſt cauſa efficiens: In ſecundo cauſa finalis. Mutemus iterum cauſas ſic. Non caſtigo te:quo uoluptatem ex cōtumelia tua contraham:ſed quo meliorē reddam. ubi eſt quod: illic poteſt poni quia:& ubi quo:illic ut. quare in his dictionibus utendis cauendum eſt quamdiligentiſſime.

De duntaxat.

d untaxat licet idem pœne ſignificet quod ſolum: tamen fere aliter in oratione diſponitur.nec reci

pere ſolet poſt ſe niſi raro illa : ſed etiam:ut ſolum:ut tantum : ut modo faciunt. Cicero de oratore. ita loquemur : ut ea tradamus duntaxat ei : quæ nobis uſus docuit. Quint. ĩ undecimo. Ergo cũ iudex ĩ priuato dicere de cauſa iuſſerit: leuiter eſt conſurgendũ duntaxat ĩ iudiciis. Titusliuius tñ li° quadrageſimo ſexto ſic hac dictione ſemel uſus fuit: Nec animum duntaxat nobis fidelem ac bonũ præſtitit ſed omnibus interfuit bellis quæ geſſiſtis : ſed hoc ut dixi: perrarum eſt.

De quando quidem & quando. & quatenus.

q uando quidem & quando idem ſigificãt: & ſignificant quoniam. Quintil. Quando igitur orator eſt uir bonus: is autem citra uirtutem ĩtelligi nõ poteſt. eiuſdem ſignificati eſt quatenus. Plinius iunior. Et Quatenus negat̃ nobis diu uiuere: relinquamus aliq̃d quod nos uixiſſe teſtemur. Sed Cicero dixit quatenus pro in quantum : ſicut eatenus pro in tantum: ut ĩ lellio. uidendum eſt : quatenus amiciciæ tribuendum eſt.

De igitur & ergo. quare & quamobrem.

i gitur atq; ergo breuioribus adhibentur concluſionibus. Quare: quamobrem: maioribus.

De Adeo. uſqueadeo. uſque: & tanto.

a deo: uſq; adeo:uſq; eo ſignificant in tantum.non nunquam ſequente ut. Vt Quintil. Nuſquã pro nobis ſollicita lex ẽ:ut quod præſtat:extorqueat. Non nunquam ponitur ſine ut.& multi exponunt pro ualde ut Teren. Iuuenem adeo nobilẽ ideſt ualde. Virg. uſq; adeo turbatur agris.

De quin & quin etiam.

q uin capitur pro quinetiam ſiue pro atque etiam. quin pro ut non.& tunc deſyderat uerbu; ſubiũctiuum non principale Virg. Hic tibi nequa mora fuerit diſpendia tanti: Quin uatem inſanam aſpicies.quin ꝓ cur non ſemper interrogatiue & per indicatiuũ. Cicero pro Rabirio.quin compeſcitis iſtam uocem indicẽ ſtulticiæ:teſtem paucitatis.

De Secundum.

ſ ecundum capitur his modis pro iuxta:pro poſt: pro eo quod eſt pro.et pro in.quorum omnium legendo exemplum ĩuenies. Vt ſecundum te litem do. ſecũdum me iudica.ideſt pro me.& ſecundum quiete;. ideſt inquiete ſomni.ſecundũ platonem ſecundum pythagora;.ſenſus hic notiſſimus eſt.

De iam & iam etiam.

i am aliquando capit̃ pro tunc:aliquādo pro præterea.quaſi nodus quidam inter ſentẽtias. Virg. Iam maris immenſi prolem & genus omne natantum. Iam uarias pelagi uolucres. Idem efficiet iunctum cum uero. Iam uero urbibus conſtitutis. Iam iam de futuro palā eſt:quid ſignificet.ut iam iam aderit.& de præſẽti. licet ad futurum reſoluatur. Iam iamq; manu tenet.& p̃mit haſt.aquaſi nūc nunc tenebit.per miſerationem & ĩdignationem & per exhortationem capit̃ multotiens.

De Tantiſper.& dum.

t antiſper fere poſtulat poſt ſe dum pro donec ſiue quādiu. Nam & donec duobus modis accipitur: Dabo operam uoluptatibus:donec moriar.ideſt uſque ad mortẽ.& dabo operam uoluptatibus:donec uiuam. ideſt quadiu uiuo.eiuſdẽ naturæ ẽ dum. Ideoq; ĩ priore ſenſu amat ſubiunctiuum.in poſteriore: Indicatiuū more donec.ut Cicero.deinde eſt in carcerem ductus: ut ibi eſſet tantiſper:dum aculeus ĩ quem coniectus deferretur:compararetur. Sunt tamen qui pro tantummodo accipiunt. Sunt etiam:qui pro interea.cætera quoq; ſic a per compoſita ad temporis breuitatem referunt̃ paꝝper.paulliſper:aliquantiſper.

De fere

f ere multotiẽs accipitur pro pœne:ſed ſignificatio

eſt : paulum abfuit quin . ut fere in manus hcſtium in cidi . ideſt paulum abfuit : quin in manus hcſtium inciderem . pro fere accipitur temere apud omnes poſt Cicerorem natcs. ut Quint. . illud ingeniorꝫ uelut præcox genus non temere nũquã ꝑuenit ad frugem.

De citra . quotiẽs . ĩterim. procul dubio . & obiter.

c Itra pro ſine . ut tibi pluſque ſi ſepares . uſus ſine dcctrina quam citra uſum dcctrına ualet . quotiens pro quando . Interim pro aliquando . Proculdubio ſine dubio. Obitcr interea .

De hoc magis & eo magis .

h Oc magis & eo magis. idem ẽ: quod tanto magis Item quo magis. idem : quod quanto magis .

De itidem & ıtem .

i Tidem & item ſignıficãt id quod ſimiliter.

De ita. itaque .

i Ta itaque quiddam ſimile habent ; itaque duæ dictiones ſunt .

Cur ab itum fiat atio .

ſ upina uerboꝝ primæ cōiugationis in itum uel in
ctum non faciunt uerbalia in itio uel in ctio ſed in
atio ut uetitum uetatio : cubitum cubatio nō cubitio. fri
ctum fricatio non frictio &cætera. præter ſeco quod
facit frequentius ſectio quam ſecatio.

De nunquam. nequaquam: & nuſpiam.

n Vnquam pro nequaquam. & ipſum nequaquā
& nuſpiam ſimplicem negationem indicant. ideo
que uno uerbo contenta ſunt. ut nequaq̄ ueniam. necu
bi nō ſimplicem: ideoq; duplex uerbum poſtulat. uolo:
necubi mihi obuius fias ; ideſt ne alicubi.

De perinde. & proinde. & ſubinde.

p Erinde ſignificat ita. & frequentiſſime flagitat
poſt ſe ac ſi. ut fac perinde ac ſi tua res eſſet. & ali
quādo poſtulat q̄ præcedente negatione. ut Suetoniuſ
de uita Domitiani. nulla tamen ī re perinde motus quā
reſponſio caſus Aſchitarionis mathematici. proinde
idem eſt quod ideo. ſubinde reperitur pro deinde. &
pro identidem ſiue frequēter cū quodā īteruallo.

De bene & male.

b Ene & male optime & peſſime multotiens accipi
untur pro ualde.

De intra & infra.

i Ntra & infra differunt. nam intra ad numerũ & ad ſpacium refertur: ut intra uiginti dies & intra muros: non autem infra uiginti dies uel infra muros dicimus: infra ad dignitatem & locum. ut infra dignitatem meam eſt. & infra tectum. ideſt ſubter tectum. denique intra habet relatiuum extra: infra uero habet ſupra relatiuum: ſuper quoq; relatiuũ habet ſubter.

De ultro citroque

u Ltro citroq; in factis & in dictis. Cicero in ſexto de re. pu. Multisque uerbis ultro citroque habitis ille nobis conſumptus eſt dies.

De uiciſſim. inuicem. mutuo.

u Iciſſim. mutuo. & inuicem pro eodem accipi ſolẽt ut Cicero. Fac me mutuo diligas: ideſt fac ut mihi in amore reſpondeas: uel fac me uiciſſim uel ĩuicem diligas: capiũtur aliquando & præſertim uiciſſim apud Ciceronem & fere apud maximos auctores ĩ alio ſignificato pro ſecundo loco. ſiue ediuerſo. uel econtrario. Plinius poſterior. habes res urbanas: Inuicem ruſticas ſcribe.

De Iterum.

i Terum refertur ad primam uicem. nõ tantũ ad poſteriorem . nam Iterum uoco te.i. iterata uice. ſed aliquotiens capitur pro econtrario ſicut rurſus .

De antehac & poſthac .

a Ntehac & poſthac. i.ante hoc & poſt hoc tẽpus.

De deinceps .

d Einceps pro dehinc : ſeu deinde & pro gradatim dicitur .

Inter Aduocatum & Patronum.

A

a Duocatus & patronus ſic differunt. Aduõcatus eſt qui alterius cauſam agit . aut qui paratus ſit defendere . patronus autem q̧ agit cauſam accuſati ĩ criminibus . In aliis autem rebus : ut mutuis . depoſitis . locato . conducto. ſimilibuſq;:tã auctor q̃ defẽſor:ſolet appellari patron⁹.

Inter abdicare & exhæredare .

a Bdicare eſt expellere filium a bonis uiuẽte patre. Exhæredare uero poſt mortem . ſed abdicare ẽ grauius . quod etiã in ſe exhæredationẽ continet.

Inter Ambitionem & ambitum.

a Mbitio eſt quædam cupiditas præter modum honoris aut laudis. Ambitus eſt ĩ actu: nam qui largitur pecuniã: aut populo muneribus laudibusque blanditur: aut cæteris artibus quæ legitimæ nõ ſunt: ad publicos honores tendit: ambitum cõmittit: cuius ſimilis eſt: quam hodie ſimoniam uocamus a Simone mago. niſi quod ſimonia tãtum eſt ĩ rebus ſacris. ambitus & ambitio ab ambio ueniunt .i. circũeo. ambitioſus ab ambitio: ambitus nõnunquã pro effectu ambitionis ſiue pro ſpecie quadam fauoris & quaſi capiendæ miſericordiæ. ab hcc etiam ambitioſus.

Inter arborem & fruticem.

a Rbor a frutice differt ut frutex ab hærba: eſt.n. frutex quæ ad iuſtam magnitudinem arboris nõ aſſurgit: & ſtatura ſimilis eſt multis hærbis: & non demoritur: nec areſcit: ut hærba. ſed peremnis eſt. Inter frutices quoq; eſt ſoboles illa arbor & plantula. a frutex uenit fruticor fruticaris: quaſi fruticem renaſci ex arbore. Nam quod ſæpe legimus fruticari pilum tranſlatio eſt a fruticibus.

Inter Acinos & Bacas.

a Cinos iter & bacas hoc ĩtereſt. quod acini ĩter

fructus minutiores arborꝝ fruticum ue dēſius naſcunt̄. bacæ uero diſperſius & rarius. īter acinos enim annu merantur uuæ grana. hederæ: ſambuci. grana ebuli. grana mali punici. addo etiam morum & quicqd his ſi mile eſt. Inter bacas uero fructus lauri: oliuæ: corni loti. myrti. lentiſci. ſimiliumq;. Supra hæc poma dicun tur: quibus tantum ueſcimur. Ceraſum ſiue Ceraſiū: & prunum & meſpilum poma nō acini uocant̄ nec ba cæ. glans in numero iſtorꝝ nō uenit. ſilueſtris enim & paſtio pecorꝝ eſt. caſtanea ī nuces refertur: ſicut pinus auellana & amigdolus: Iuglans & ſi qua ſunt his ſimilia non poma dicuntur ſed nuces.

Inter actorem & auctorem.

a Ctor & auctor ita differunt. quod actor dicitur orator: qui agit cauſam. & qui geſtum uultus & corporis agit. auctor idem ē: quod factor. Vnde poe tas cæteroſq; operum conditores auctores uocamus: & denique qui facit aliquod opus. Qui egit bellum: egit pacem & quācunq; aliam rem: auctorem dicimus: Au ctor præterea ſignificat hominem ī quo eſt uiſ poteſtas. ſiue dignitas: uirtute quarꝝ ſua īterpoſita auctoritate po teſt facere rem autenticam. olim duces militum uocabā tur auctores. unde auctoro as. ideſt obligo. ex quo fit auctoramentum. quod eſt quaſi ſtipendium quoddā & pretium cuiuſdam militiæ ac pugnæ actioniſq;. Vn de Cicero quorꝝ ipſa merceſ auctoramentum ſeruitutis

eſt. Seneca libro ſeptimo epiſtolaꝝ. Nullum ſine au
ctoramento malum. auaricia pecuniam promittit. lu
xuria uarias uoluptateſ. ambitio purpuram & plauſū:
& ex hoc potentiā. & quicquid potentia poteſt. ex quo
patet auctor nihil habere cōmune cum augeo nec cum
auctio. quod probatur: nam auctio eſt uēditio quædā ī
publico. & hinc auctionari publice ſub haſta uēdere: ea
quæ ad ſupellectilē ſpectāt. differt autem auctio uel au
ctus ab hauſtu: quia diuerſam originem ſortita ſunt.
Auctus enim eſt īcrementum ab augeo deſcendens, ut
& hauſtus ab haurio.

Inter auem & uolucrem.

a uis eſt: quæ oua parit: pennisq; prædita. uolu
cris eſt quæcunq; uolat. ut auis: apex: culex & cæ
tera. præter unum ueſpertilionem: qui utroque caret:
quattuorq; pedes habet & ſemimus eſt.

Aceruus. ſtrues. ſtrages. ſarcina quid ſint.

a ceruus eſt quarumlibet rerum congeries: ſtrues
autem congeries lignoꝝ: ſtrages aūt cadauꝝ in
terfectoꝝ uno ī loco ac prope iacētium multitudo: Sar
cinæ utēſilium: & eoꝝ quæ ad cultum & ornatum & ad
cæterum uſum pertinent. res enim noſtræ domi ciſtis
capſisq; compoſitas etiam ſarcinas uocamus.

Inter amorem & caritatem. & penuriam.

a mor genus ad omnia pertinens. caritas ſpecies ad homines tantum. caritatem etiam pro penuria frumenti & annonæ accepimus. penuriam uero uini: aquæ. pabuli pecuniæq;: uirorum. cæterarumq; huiuſ/modi rerum.

Affectus & affectio

a ffectus & affectio idem ſunt. eſt autem affectus pars illa animæ quæ eregione rationis eſt. quicqd enim in anima præter partem illam memoriæ ratio non eſt: affectus eſt. & rurſus quicquid non affectus: ratio. Ab hoc fit affecto as

Annus.

a nnus uno mō accipitur ꝓſpacio unius āni: alio mō ſignificat anniuerſariū: q̄ ſingulis ānis uenit.

De Appeto & expeto.

a ppeto cum affectu qualiacunque. expeto cum ratione honeſta planeq; bona: quare non bene dicitur bonum eſt: qund omnia appetunt.

De aſſurgo.

a ſſurgūt ſani:ut ſtēt:aut ut domū eant. aſſurgunt
ægroti:ut ſedeant:aut ut cubito innitantur:utroq;
modo in alterius honorem aut officii aut beniuolentiæ
cauſa hoc agentes. Ideoq; fere adiungitur datiuus.ut ad
uenienti magiſtratui omnes aſſurgimus.

Audio & exaudio.

a udio & exaudio indifferenter pro duplici ſignifi/
cation e ponuntur.una proeo quod eſt auribus ac
cipio : altera pro eo quod eſt:audita concedo : audio tñ
frequēter accipitur ꝓ eo:quod eſt credo:accedo:pareo
præcipienti. Audio inſuper pro fateor: quod eſt idem:
quod concedo.ut ſuperius diximus : ideoq; ſæpe ſic le/
gimus:audio:& fateor.quaſi poſterius declarat primū.

Inter amare & diligere & adamare.

a mo & diligo in hoc differunt : quod plus quidem
eſt in amo quam in diligo.ut Cicero.Sic igitur
facies : & me aut amabis : aut quo contentus ſū:diliges.
adamo idem eſt : quod amatorie amo.

Inter agere habere & referre gratias.

a gere gratias eſt uerbo. quod quidam barbare di
cunt regratior : habeo gratias eſt in animo : cum
in mente habeo gratificandi acceptum beneficiū.refero

gratias ſiue reddo gratias:eſt facto:ut ſi ate pecunia aut patrocinio læuatus ſum:uiciſſim ame aliquo modo ſubleueris. Cæterum frequentius eſt refero gratiam:quam habeo gratiam. Item frequentius habeo gratiam:quam ago gratiam: Vix enim dicitur ago gratiã:ſed ago gratias.& raro refero gratias:ſed gratiam dicimus. Item ago grates ſed hoc ſæpe apud pœtas.

De aſſentari.adulari.& blandiri.

a ſſentari:adulari:blandiri ita differunt.quod aſſẽtari eſt inſidioſe & falſo quempiam laudare.adulari uero in ſeruire & captare fauorẽ quoquo modo uel uoce uel geſtu.blandiri proprie ad tactum pertinet:& ꝑ abuſionem ad alios ſenſus tranſfertur : nonnunquam etiam ad animum.ut Quintil. Iudices pauliſper calamitatibus meis.blandiri nonnunquam capitur ꝓ adulari. præterea blandiri & adulari etiam in mutis animalibus cadit.ut patet in cane.aſſentari uero non.

De aduerſor & auerſor.

a duerſor tibi & auerſor te dicimus.de primo nihil dubii eſt:ſecũdum uero idem ſignificat quod præ tedio ab aliqua re quã deteſtamur:uultum auertimus : ut ĩ deuteronomio.gẽtes quas domin⁹ auerſatur ideſt deteſtať:abominať:& a quibus præ odio uultũ auertit.

Ad ſeuerare quid ſit.

a ſſeuerare eſt īter ipſa argumēta probationes que admiſcere uim animi motumq;. Quod declarat Quintilianus: cum inquit. altera ex aſſeueratione. probatio eſt. Ego hoc feci. Tu hoc mihi dixiſti. & o facinus indignum.

De admoueo & amoueo.

a dmoueo manum ideſt appono manum. amoueo ideſt remoueo. aduerto oculos mētē ue ideſt ꝯuerto. aduerſ⁹ ideſt oppoſit⁹ obiecto pectore. auerſ⁹ terga cſtēdēs. ut Tullius. & aduerſus & auerſus īpudicus es.

De Alumnus.

a lumnus ſignificat eum qui ab alio alit᷑. ſed ſecūdū Nonium Marcellū etiā ſignificat euȝ: qui aliū alit.

De Armiger.

a rmiger eſt qui in prælio gerit tæla domini ſui. ut ſcutum. arcum: lanceam & huiuſmodi.

Auſpicium.

a uſpicium eſt uel a paſtu auium: uel ab inſpectione auium quod conſul anteaquā iret in expeditionē: capiebat. hinc dicimus auſpicia. ideſt: ductū & principiū.

quæ a ſolo duce capiuntur .& hinc aucupari non modo auſpicium capere ſed etiam incipere .& auſpex qui præerat nuptiis celebrandis pro uxore.

De accipio pro capio.

a ccipio pro capio aliquē conuiuam in domum meā honoris & amiciciæ gratia.

Accuſare.

a ccuſare ē uel apud iudices uel apud alium quēuis etiam apud illum ipſū quem accuſas: et ſignificare ac oſtendere aliquem peccaſſe. Incuſare uero repræhēdere mores alterius. & plærunq; cum querela quod ab illo iniuria ſis affectus. & ita capitur apud Virg. Terentium. Cæſarem. atq; cæteros auctores: Vnde appraèt accuſare non eſſe maioris de minore. Incuſare uero minoris de maiore. ut ſeruió placet.

Arcere. Abigere. abigei.

a rceo idem eſt: quod ueto: ꝓhibeo: cuius cōtrariū ē abigo: quod ſignificat a loco fugare: atq; expellere. ut abige muſcas: abige capras ab hortis. Abigere etiam ſignificat tollere furto & latrocinio. Vnde abactores uocātur pecuariorum animalium fures latrūculiue. & hic abigeus abigei pro eodem.

Ager. Fundus. prædium.

a ger territorium eſt. Aruum eſt: cui ſemē datur. Fundus eſt poſſeſſio ruſtica. ut prata: uineæ. paſcuatoria. aucupatoria. & ſic de aliis multis. prædium autem eſt poſſeſſio & ruſtica & urbana: unde patet quod fundus eſt ſpecies prædii. poſſeſſio etiam tabernas & hoſpitia ſignificat. Fundum neutri. g. aliud eſt quam fūdus. ē enim fundum una pars rei propriæ aliquid liquoris intra ſe continens. aut adcontinēdum factæ: ut doliū. ut nauis. ut alueus. uel lacus: uel fluuii: uel ſtagni: uel maris. fundamentum ut omnibus patet: aliud eſt quam fundum. ad quod pertinet fundare: ſed fundare: & fū-damenta iacere in hoc differūt. quod fundare ē ualidis fundamentis fulcire: fundamenta uero iacere quaſi q̄li acūq; fūdamēta facere. & quodā mō dare rei principiū.

De apud & penes.

a pud te & penes me in hoc differunt. quod alterū perſonam & locum ſignificat. ut apud platonem apud forum: alterum perſonā & dominū & poteſtatē. ut pecunia eſt penes me. in poteſtate mea. ſiue dominio. Aliquotiēs penes trāſfertur ad res. ut laus uel uituperatio periculum ſeu cōmodum penes te eſt.

De Acceptilatio & hypotheca.

a cceptilatio & hypotheca in hoc differunt. quod acceptilatio eſt omnimoda liberatio. & contingit: licet peccunia nõ ſit ſoluta. Hypotheca nõ aliter quam ſi pecunia ſoluatur. et cetera.

Accedere.

a ccedere eſt adire atq; appropinquare. ut accede ad ignem: unde acceſſus. eius cõtrarium eſt receſſus. Accedere alio modo eſt adiũgere uel augumẽtare: ut calamitatibus meis põdus acceſſit. uel ad calamitates meas. unde acceſſio. eius cõtrarium eſt remiſſio.

B

De bellum & prælium

Ellum eſt cum ipſa pugna tum totum tempus. quo ĩ militia ſumus. quã illiterati guerram uocant. prælium eſt ipſum certamen. q̃ etiã citra arma fit. interdũ ẽ nudis uerbis.

De bene mecum agitur.

b ene mecum agitur. ideſt in bona cõdicione ſum. Item præclare tecum agitur. melius cũ omnibus ageretur: ſi paruo contẽti eſſent. & ita de multis aliis & ecõtra. male mecũ agitur. ideſt in mala conditione ſum.

Bonum & bonitas.

b onum generale nomen eſt honeſta pariter atq;
utilia complectens:ut bonum animi:bonum cor
poris: bonū fortunæ.bonitas idē eſt:quod benignitas.
a primo fit bonus uir ideſt iuſtus & exequēs officii ſui.
a ſecūdo bonus pater:bonus deus.ideſt benignus & clæ
mens. Aliquando unum pro altero ſumitur.eſt autem
alia bonitas nō ex īduſtria ueniēs ſed ex natura.quæ uo
catur dos naturæ.non nunquam & bonum ad naturam
bonitatis accedit:nā cum dicimus de æquo & bono:nō
de rigore iuſticiæ & de ſummo iure loquimur ſed quaſi
de bona æquitate.

Buccam & buccas pro eodem accipi

b uccam & buccas apud auctores ꝑ eodē accipiūt.
ea enim pars quæ uento inflari ſolet:bucca uoca/
tur.gena uero membrana illa & quaſi ueſtis tam ſupior
quam inferior:qua oculus integitur:& operitur.ambitꝰ
extremæ genæ ſuperioris uocatur cilium:unde & ſupci
lium.mala uero illud intra genam inferiorem & buccā.
quaſi rotundum in ſpeciem mali.cuius īterior pars quæ
oris hiatū efficit:ubi molares affixi ſunt:maxilla dicit̃.
& dens intimus ipſi genæ affixus genuinus dicitur.la/
bia dicūtur illa quæ tam inferius quā ſuperius ceperūt
dentes.mala aliquotiens pro gena accipitur:& gena pro
oculo.continens pro contento: ut Quint.ille perpetua
nocte clauſæ genæ non cuſtodierunt.

.C.

Cœnaculum. Cœnatio.

c OEnaculũ uno modo ideſt locus ad cœnandũ in loco ſuperiore. alio modo ꝓ parte ſuperiore domus accipitur. Cœnatio locus ad cœnandum ſed in imo.

Crepitus. Fremitus. murmur.

c repitus ſonus ē uiolētus: a quo uenit increpo: qđ eſt cum eruptione & mani ſonitu repræhendere. cymbala tympanaq; crepitant: unde fit crepitaculum. tubæ: cornu: ſimiliaque crepunt: ſiue crepitant: crepitus ſignificat turpem ſonum ſpeciali uocabulo. ſtrepitus ꝓprie eſt ſonus pedum ambulantium. appellabitur etiã faſtus & pompa diuitiaꝝ ſtrepitus quaſi a ſtrepitu comitãtium. fremitus eſt tam ſonus fluctuũ ĩ alto mari q̃ murmur ĩ populo. ſtridor ē acrior & q̃ſi ſibilãs colliſio.

Ceruix. Iugulus. Collum.

c eruix poſterior colli pars eſt: unde origo eſt omnibus neruis. Iugulus anterior unde uox alituſq; procedit. collum omnes partes ĩſolidum complectitur. & quoniam in iugulo mortifera ſtatim plaga eſt: a ueteribus dicebatur petere iugulum. ferire iugulum: pro eo quod eſt petere mortem. inferre mortem.

Condictio & Conditio.

c ondictio a condico naſcitur. Conditio a condo. Il/lud rarius eſt. Cōditio uero multi his temporibꝰ male ut plæraque uſurpant accipientes pro mētis qua/litate: uelut illud. hic eſt homo manſuetæ & bonæ cōditi onis: quod antiqui dicebant manſueti & boni ingenii. Nos quoqꝫ manſueti animi manſuetæqꝫ mentis. unde la tine dicitur homo bonæ conditionis: ſi ad fortunas re/feratur: non ſi ad mores. aliquādo capitur pro pacto: & tunc iungitur cū his uerbis offero. fero. pono. accipio. ut apud Teren. Accepit conditionem ideſt pactioni pro/miſſionique aſſenſit.

Catuli. Pulli. Fœtus.

c atuli proprie ſūt filioli canū. & plærunqꝫ ſūt ferarū ſiue immanium ſiue mitium: ſerpentum quoque: immaniumqꝫ piſcium qui non edūt oua. pulli uero ſunt pecudum. fœtus auium & piſciū. quanquam et hoc ge/neralius nomen ē. unde fœtificare ꝓ parere. & fœtura pro partu ad omnia animalia muta pertinet.

Conciuis & Conterraneus. Commilito. & cōdiſcipulꝰ.

c onciuis qui eiuſdem ciuitatis eſt. conterraneus q eiuſdē terræ. ſimiliter ſocios ī militia cōmilitones appellamus. ī ſchola condiſcipulos. & ſic de cæteris oībꝰ

Corporeum.

c orporeum eſt exiſtens ex materia atq; ſubſtãtia corporea: ut domus. fundus. mancipia uero cor/ poralia ſũt non in corporea.

Capitalis.

c apitale odium. ſuppliciũ. morbus: qui caput alte/ rius petit: Capitalis autem homo. uiciũ. peccatũ. non quod petat alterius caput: ſed propter quod caput promittẽtis: uel committentis peti debeat ad pœnam.

Crudus.

e rudus uocatur qui habet cibũ ĩ ſtomacho difficile digeſtibilem. ſed per tranſlationẽ hominem cru/ dum appellamus: qui eſt truci aſpectu cuius oculis no/ ſtri offendũtur. pro ut ſtomachus cruditate cibi.

Corpulentum.

c orpulentum hominem potius quam ut aliqui di/ cunt carnoſum.

Coniurare & conſpirare.

c oniurare & conſpirare tam in malum quã ĩ bonũ

accipiuntur.de malo notum eſt eruditis.In bonum autē ut Mutius Scæuola ad porſenā regem inquit. Trecēti coniurauimus principes iuuentutis romanæ.ut in te hac uia craſſaremur.& Cicero ad Cæſarem pro ligario:fratrum conſpirationem dixit quaſi unanimitatē.ideo cō/iuratio ſæpe in bono dicitur.

Cordi eſt & in animo eſt.

c ordi eſt & in animo eſt differunt:illud uero ē de/lectat:& placet.ut Ter.Si tibi hæ nuptiæ ſunt cordi.hoc uero idem eſt:quod uolo:atque conſtituo.

Compertum & exploratum.

c ompertum eſt mihi & exploratum eſt mihi:idē eſt quod ſcio per inueſtigationem.

Certum eſt:

c ertum eſt non ſolum accipitur pro manifeſtum eſt ſed etiam pro deliberatum & conſtitutum.In ſecundo ſignificato plærunq; adiungitur datiuo cum infinito.ut certum eſt mihi ire in italiam.

Conſulo te & tibi.

c onſulo te ideſt conſilium peto a te:uel interrogo.

& inquiro conſulo tibi ideſt conſiliū do tibi & prouideo tibi.ſed hoc frequentius ī rebus:ut cōſulo uitæ: conſulo ſaluti. In plurali autē interdū capitur pro cōſulto: quādo non regit caſum poſt ſe.ut fœneratores conſulunt ideſt conſultant: ſeu deliberant.ex conſulto duo naſcūtur conſultor & conſultus.conſultor accipitur tam pro eo qui alium conſulit q̄ pro eo qui alii conſulit. Conſultus eſt homo prudens & ſciens dignuſq; a quo cōſiliū petas.

Circunſto & circunſiſto.

c ircunſto & circūſiſto utrunque facit circunſteti. ſed primum pro circundo.alterum pro inuado & irruo:& quaſi terrificatione aggredior.non nunquam circunſiſto non terrificandi ſed terroris auferendi gratia ponitur.ut Cæſar in commentariis.Siquis grauiore uulnere accepto deciderat:circunſiſtebant.ideſt ſocii iacentem exhortabantur tæla hoſtium arcentes. Non nūquam circunſiſto pro circunſto dicitur.

Conciliare & reconciliare.

c onciliamus amorem.beniuolentiā.laudem.famā honores.& ſimilia præter gratiam.comparamus. uel contrahimus gratiam.rurſus inimus gratiam: non autem inimus amorem.ideſt comparamus gratiam.reconciliari tamen & in gratiam redire idem ſūt quotiēs amici qui aliquātulum fuerunt inimici ī priſtinā redeūt

beniuolentiam:ſed redire in gratiam etiam cum inani/matis.ut Cicero de ſenectute: In gratiã cum uoluptate redeamus.rurſus ĩneo rationem.fœdus:pacem:ſocietatem:bellum:pugnam dicimus quaſi capeſſo:ingredior atq; incipio.& per participium eius abſolute poſitum. ut ineunte pueritia :adoleſcẽtia:uere:æſtate:hyeme. & hoc fere non dicimus niſi in re momẽtoſa aut graui grãdi ue.nam non ita recte loquar in parua re.ut in eo prãdium : ĩeunte die:ſed incipio prandiũ.ĩcipiente die.

Conſciſco & Aſciſco & deſciſco.

c onſciſco fere ad mortẽ pertinet: ut mortẽ ſibi ipſe conſciuit. Aſciſco idem eſt:quod remotum aliqd quaſi ſcite uocatum capio. Deſciſcere eſt ab imperio ſe ductuq; alterius ſubtrahere.ut milites a duce.

Conſternere & Conſternari.

c onſterno eſt corporis:conſternor aris eſt animi. cũ mẽs turbata ẽ & de ſtatu mota q̃i humi ſtrata.

Cõflare ſiue contrahere æs alienum.ac diſſoluere.

c onflaui æs alienum & contraxi æs alienum idem eſt quod factus ſum debitor alienæ pecuniæ.Diſſoluo æs alienum idem eſt:quod contraxeram æris ali/eni : reſtituo & pluribus ſolui.

Citare.

c itare proprie ad teſtes pertinet quanuis Nonius Marcellus capiat pro laudare:ſi credere fas eſt.

Capio.

c apio ſignificat uel ſponte uel non ſponte accipio. & habet reciprocum quendam uſum.ut cepi uo/luptatē & uoluptas cepit me.ſumo ſponte tantū.accipio & multū ac pœne nimiū mihi tribuo.& in hoc differunt.

Contendere.intendere.

c ontendo:ideſt ſimul intendo.Intendo quid ſigni ficat :cognoſcere poteris per hanc ſimilitudinem: nam ut neruus in cithara:aut neruus in arcu.quo magis intenditur : eo uæhementiorem uel ſonum uel ictum ef ficit:quo magis relaxatur:eo remiſſior ē.ita & uox quæ uſum neruorum utique corporis exigit.quod uidere li/cet in acutiſſime exclamantibus.ita & mens per tranſla tionem.a contendo uenit contentio: ab ītendo intentio. quæ idem eſt:quod attentio.quare falluntur illi:qui in/tentionem pro uoluntate capiunt.

Carpo.

c arpo idem eſt quod per uim euello:licet Nonius

Marcellus ꝑ attenuare capiat & ꝑ celeriter præterire.

Calumnior & cauillo

c alumnior & cauillo nihil differunt. Calumniari enim & cauillare ſignificant in crimina intendere ſeu per fraudem & rationem ſubdolam cauſa mendacii uincendi alios in litibus uexare. A calũnior uenit calumnia. ideſt fraus uel dolus & calumniator. a cauillo uenit cauillatio. ideſt ſubdolatio: calumnia autem nõ nunquã capitur pro facetia.

Conuicium

c onuicium nihil aliud ẽ q̃ maledictũ cõtumelioſũ.

Conficio.

c onficio uno modo ideſt perficio: alio modo cõſauciando trucido: unde confectores ferarum.

Commentarium.

c ommentarium liber eſt: in quo nude capita rerũ ſeu initia magis neceſſaria ponuntur: Capitur aliquando pro expoſitione ſeu interpretatione auctoꝝ. q̄ idem Seruius & Nigidius commentum appellãt. quod quanquam in maſculino & in neutro genere inuenitur:

ut commentarium & commentarius: tamen elegantius ponitur in plurali in maſculino. & in ſingulari ī neutro.

Commeatus.

c ommeatus in utroque numero accipitur pro cibariis ad alimoniam rei p. aut alicuius multitudinis. etiam īterdum priuatim. In ſingulari tamen multotiens capitur pro licentia ad tēpus a militia alio ue miniſterio recedendi: quam præpoſitus præbet inferiori.

Cælebs.

c ælebs tam qui caruit ſemper uxore: quā qui nunc caret. inde cælibatus.

Comœdus eſt hiſtrio qui agit geſtus in ſcæna.
Comicus pœta ipſe comœdiarum conditor.

D

Decus. & Dedecus. & decor. & decorum.

Ecus eſt honorificētia ex bene geſtis rebꝰ. dedecus contrariū ſcilicet ignominia. quæ dictiones aliquando transferuntur ad animum. quippe deus ꝓ honeſto: dedecus ꝓ in honeſto accipitur. Decor eſt quædam pulchritudo. Decorū autem appellamus nō tantum ipſum honeſtū: quā id quod hominibus uidetur pulchrū & apꝓbabile.

d ies pro tēpore ē feminini generis.ut multa dies dat magnam hominibus ueri experiētiam.& īde habemus dieculam pro paruo tēpore.In tempore certo eſt maſculini generis : ut heſterno die : craſtino die.ad diem non uenit ideſt præſtituto die.

Diuturnus & diutinum.

d iuturnus & diutinum idem ſignificant:& utrunq; a diu ſiue diutius uenit.& non a die.de diuturnus plurima exempla ſunt.de diutinus pauca.

Diſco & ediſco.

d iſco & ediſco differunt:diſcere eſt : ut intelligas: ediſcere uero ut memoriter complectaris.

Dicere.

d icere proprie eſt oratorum. Quint li° x°. Nam mihi ne dicere quidēuidetur:niſi quod diſpoſite: ornate:copioſeque dicit:a quo uenit dictio ideſt oratio facunda & oratoria:Ex hoc ipſo uerbo uenit dictio.q idem eſt:quod dico.ſiue alter ſcribens excipiat:& manu ſtiloq; notet.dictū & dicta de omni ſermone ītelligūt : ſed ſpecialiter capitur pro dicaci ſermone.unde dicta ē dicacitas.quæ ē ſermo cū riſu audiētibus ualde moleſt⁹.

Do tibi fidem.

d o tibi fidem ideſt aliquid ſancte promitto. habeo tibi fidem ideſt uerbis tuis credo.

Deſcendo in prælium.

d eſcendo in prælium: in forum: in campum dicimus. ſed nõ quod de loco ſuperiore in īferiorem deſcendimus. ſed quia de loco tuto ī locum diſcriminis. ideoq; in forum deſcendere eſt cauſa pugnandi uel defendendæ litis.

Declaro.

d eclaro frequentius ad facta pertinet quã ad dicta ut Cicero. Declarauit id modo temeritas C. Cæſaris. interdum accipitur pro ſignifico: ut idem Tullius de finibus. Nullum uerbum eſt quod idem declaret latine quam græce.

Dicere ſententiam.

d ico ſentenciam iudex. nõ nunquam dico pro fero capitur. Item dicimus dico leges: & fero leges. ẽ autem ferre leges ad ſuos. dicere uero ferre ad uictos.

Deuenio.

d e uenio in montem: deuenio ad diuitias deuenio ĩ paupertatem minus uſitatum eſt quam perueni/mus in montem: peruenimus ad diuitias. Similiter e di uerſo deuenimus in planum. deuenimus in uallem: pro babilius dicitur quam peruenimus. & eſt quotiens ab editiore loco ad humiliorem profecti ſumus.

d euoluo ideſt dehorſum uoluo ſeu præcipito.

Deſpicio.

d eſpicio ideſt dehorſũ aſpicio. & per tranſlationẽ idem eſt quod cõtemno. ſicut ſuſpicio ideſt ſurſũ aſpicio. & per tranſlationem ueneror. Deſpicio idem ẽ: quod prouideo & circuſpicio mente: & tanquam in om nem partem lumina mentis intendo. omniaq; diſcerno. a quo deſpicientia dicta eſt circũſpectio & prouidentia. & conſyderatio diligens atq; diſcretio.

Deligo & eligo. & coopto.

d eligo & eligo in hoc differunt: quod deligere eſt illud: quod idoneum eſt cernere ad rem gerẽdã: & conſtruitur cum ſolo accuſatiuo. ut populus romanus delegit imperatorem ad bella. Imperator quoque dele git milites: & inter eos egit delectum: quis cui rei ſit ma xime commodus. Eligere autem eſt ad noſtrum emo/lumentum uel ad illius qui eligit: dignitatem. & poteſt

conſtrui ultra accuſatiuum principalem cũ altero accuſa tiuo cum præpoſitione: ut populus elegit in principem Octauianum Inter pares autẽ dicimus cooptare & non deligere: ut Cicero in bruto. a quo in collegio augurũ fueram cooptatus. Vnde notandum quod ſemper dici/ mus agere delectum: & habere delectũ: & nunquã dici mus. facio delectum. agere delectum ſemper refertur ad multa. habere delectũ non ſemper.

De bello & expugno.

d ebello ideſt bello uinco. uel bello homines capio. expugno ideſt expugnando uinco aliquas res. ut caſtra. naues. & ſimilia. ſæpe tamen expugno capitur ꝓ pugno: & impugno.

Deduco. reduco. & comitari.

d educo & reduco præter generalẽ ſignificationeẽ: quæ ignota nemini eſt. habent hanc ſignificationẽ ſpecialẽ præſtare commeatũ gratia officii. & hoc ĩter pa res & proprie non multũ dignitate & auctoritate diſtan tes. ut deduxi Catonẽ: eũq; ut in domũ reducam: hic ex pecto. comitari potius minorꝝ erga maiores.

Deturbare. exturbare.

d eturbare eſt de horſum cũ uiolẽtia deiicere. & itẽ

exturbare diſturbare diſſipando:diruẽdoq; deſiſtere.

Deprecor.

d eprecor tibi ſuppliciũ.idem eſt quod precor & imprecor.& ſignificat uel dicto uel facto recuſare ſuppliciũ.unde apparet nõ ſignificare deteſtor.execror uel abominor.ut aliqui uolũt.

Docilis.docibilis.penetralis & penetrabilis.

d ocilis qui facile docetur:docibilis qui facile diſci-tur.penetralis qui intimus eſt: penetrabilis qui facile penetratur.quãuis raro inueniatur penetralis ſed penetrale neutrum.Docilis potius docilimus.quã doci liſſimus.ut facilis.gracilis.

Depectus.

d epectus ideſt honeſte pactus & aliquando capit̃ pro turpiter pactus & uenit de paciſcor paciſceris quod tum in bonã tũ in malã partẽ accipitur.ut Cicero in paradoxis.Si quottidie fraudas.decipis:poſcis:paſ-ceris:aufers:eripis:ſi ſocios ſpolias & ærariũ expilas.

Defectio & defectus.

d efectio & defectus in hoc differũt:ẽ enim defectio

receſſio aut militis aut urbis a domino:aut a ſuperiore: deficere namq; & deſiſtere ē a ductu alterius recedere & quaſi rebellare. & defectio quaſi rebellio. ſi quid rei alicui deficit: dicitur defectus. defectu medicorū multi pereunt: plures tamen culpa. quorum multi culpas medicorum & uitia hominum rerumq; uocant defectus: cū dicere debeant uitia uel mendas. ut menda libri.

Deſipio & deſipiſco.

d eſipio ſeu deſipiſco ſignificat uel quod a commuī ſēſu ſapiētiaq; minus habeo. uel quod a meo ſēſu deſtituor. quod fere uitiū aut ex ætate uenit aut morbo aut amore aut timore aut ſimili aliquo affectu: cuius contrarium eſt reſipiſco.

Decerpo.

d ecerpimus roſā primis digytis: decerpūt puellæ primis digytis particulatim liciū lanam ue.

.E.

Inter epulas & epulū dapeſque.

e PVLæ ſunt cibi in noſtrum uſum comparati. Epulum ſolenniores quædam epulæ ī conuiuio exhibitæ ratione amiciciæ ſeu oſtētationis: magnificentiæ: honoris ue deorū. ideſt cum publice paſcimus pauperes præſertim ī mor

tibus propinquorum.

Electio & optio.

e lectio & optio his uerbis do & offero ſimiliter iū gi ſolent.ut offero electionem utrū uelis eligēdi: & optionem quod uelis potiſſimum optandi.

Excubiæ & uigiliæ.

e xcubiæ diurnæ & nocturnæ: Vigiliæ tm̄ nocturnæ

Excogito.reperio.inuenio.offendo.nactus ſum.

e xcogitare ē per cogitationē res tantū incorporeas ī uenire:ut argumēta.rationes:& ſimilia: Eſt igit̄ excogitare conſilii.reperire uero fortunæ de rebus cor poreis tantum. Ouidius: Tu non inuenta reperta es. In uenire eſt conſilio uel caſu ſiue īcorporea ſiue corporea reperire. Offēdo idē ē ꝙ reperio. Nactus ſū ꝓ inuenio ſiue reperio frequenter accipitur.ut Tul.in paradoxis Eum tu hominem terreto:ſi quem eris nactus iſtis mor tis ſeu exilii minis.

Explodo.Complodo.Supplodo.

e xplodo nō tm̄ ſignificat eiicio manibus & quidem cum ſono pulſantibus. Tul.Si paulum ſe moueat

hiſtrio extra numerum:aut ſi uerſus pronũciatus ē una ſyllaba breuior aut longior:exibilatur:& exploditur. ꝙ apparet ex aliis compoſitis complodo & ſupplodo.eſt enim complodere.ad uerſas manus collidere inuicem. quod fieri pluribus de cauſis ſolet uel ad teſtificandum more fœminarum dolorem.uel prægaudio.uel per ſubitam admirationem.Supplodere eſt pedem terræ incutere. quod ĩterdum ſolet in oratore laudari.

E re puplica. e regione. ex tempore.

e re publica eſt .i. pro re publica eſt. nam ſemper tollitur. x. quando dictiones ſequentes ĩcipiunt p .r. Similiter e dignitate tex utilitate :ex uſu :pro eo ꝙd' eſt pro dignitate uel ad dignitatem :utilitatem : uſum. Ex tempore dicere eſt ex improuiſo & impræmeditatũ dicere. hinc uocatur extemporalis oratio .i. impræmeditata. ex uinculis cauſam dicere eſt alligatum reſpondere criminibus.

Aeſtimo. Exiſtimo. Cogito. & Excogito.

a eſtimo.i.conſydero: exiſtimo.i.iudico:prius enĩ æſtimamus:ſecũdo exiſtimamus:& ſic cõſyderãdum eſt in cogito & excogito: Aliquando tamen exiſtimare capitur pro taxare ab æs æris & time græce quod eſt pretium latine.

Excuſare & cauſari quid differant.

e xcuſo eſt quando excuſamus crimen obiectũ uno modo. altero modo quando afferimus ĩ excuſationem id: quod ĩ cauſa fuit: ut peccaremus. ueluti ſi latrones aut flumina impedimento fuerunt: ne ad diem adeſſe poſſem. cauſari eſt cauſam rei geſtæ offerre. ut Virg. Cauſando noſtros ĩ longum ducis amores. i. ĩpedimenti cauſas afferendo. aliquando unum pro altero ſumitur.

Ex ſententia aliquid habere & ad uotum.

e x ſententia aliquid habere & ad uotum. licet illud uideatᷣ rationis eſſe: hoc affectus. idem fere ſignificant. ut Quintil. habes ne uxorem ex animi tui ſentẽtia. & alibi. & ad omne uotum fluente fortuna laſciuit otium.

Exhibeo tibi negotium & facio uel faceſſo.

e xhibeo tibi negotium: & facio uel faceſſo tibi negotium. idem eſt quod afficio te moleſtia uel labore & frequenter capitur pro accuſo. ut faceſſo tibi negotium. i. accuſo te ſeu afficio te moleſtia.

Exhorreo & abhorreo.

e xhorreo hanc uocẽ. ideſt expaueſco. abhorreo ab hac re ideſt perquam alienus ſum ab hac re. hoc ſemper poſtulat ablatiuum. illud uero nunquã ſed ſemper accuſatiuum.

Exemplum & exemplar.

e xemplum eſt ipſa res quam imitamur aut deuitamus. exemplar uero ex quo ſimilem facimus.

exemplum incorporale eſt : exemplum plærunq; cor porale : & aliquotiens unum pro altero ſumitur. Item exemplum pro forma. ut Paulus iuriſconſultus teſtať. ideo fortaſſe quia hæredes ſolent habere exemplum teſtamenti. i. formā. reperitur etiam exemplarium pro exemplar. exemplum idem ē quod color rhetoricus.

Exauctorare.

e xauctorare eſt ducem ab imperio ſuo dimittere. uel miſſum facere militem : illumq; donare miſſione militiæ.

e ulogium eſt teſtificatio de aliquo ſiue uituperationis ſiue honoris cauſa.

e do es eſt ꝑ comedere : & edo edis q̃uis in ſignificatione differant : tamen ĩ hoc etiam differunt : quod edo es eſt ſimplex : & edo edis cōpoſitum de extra & do : ideſt publico.

e xprimo ideſt repreſento.

a edes in plurali ꝑ domo priuata accipiuntur : In ſingulari ꝑ templo quod ſemper in utroq; numero habent adiectionem : ut in æde Iouis. In æde cōcordiæ. In plurali ſacras ædes. deorum. nympharꝝ. ideo ꝑ templo dicemus duas uel tres ædes deorꝝ. pro domo binas ternas quaternas. Aeditui autem ab ædibus q̃s tuentur : appellati ſunt. Aediles quoque ab ædibus uocantur.

F

Facies & uultus.

A cies & uultus in hoc differunt: nam uul
f tus ad animum refertur & uoluntatem. &
deſcendit a uolo uis uult. facies uero refer
tur ad corpus. & inde dicimus latam & lõ
gam faciem. a quo compoſitum eſt ſuperficies. & idem
eſt quod exterius ſe oſtendit: aliquotiens tamen uno
pro altero utimur.

f acio poteſtatem eundi & redeundi: elegantius
dicitur quam do tibi licentiam: porro dare pote
teſtatem plus eſt quam facere poteſtatem: Eſt enim
dare poteſtatem rem alterius arbitrio cõmittere.

f rondes arborum ſunt tantum: folia autem hær
barum & arborum florumq;.

f eſtus. ſta. ſtum. ad diem pertinet. ut feſtus dies.
feſtiuus feſtiua feſtiuum ad alias res. & oratio
feſtiua. ideſt iucunda & lepida. aliquotiens autem fe
ſtam frondem uocamus: quia feſtis adhibetur.

f requentem locum dicimus: ubi homines multi
aut habitant: aut diuerſantur. ut urbs. oppidũ.
platea. & ſimilia: quoniam autem de re animata loqui
mur aut in ſingulari loquimur aut in plurali. exemplũ
in ſingulari. ſit miles frequens ſpectator prædiorũ. i.
creber et aſſiduus. In plurali autem per nomen collecti
uum ſic. populus frequens: ideſt copioſus & multus.
cum cæteris uero ut frequentes ciues: frequentes ſena
tores. i. multi & numeroſi: huius ſimile eſt celebris tam
ad rem q̃ ad pſonam relatum. ut locus & homo celebris

quod cum honore ab hominibuſ & celebratur & colit͠. quare improprie licet frequentiſſime dicat͠ locus celebris an deſertus. quaſi contrarium ſit celebrem eſſe ab illo deſertum eſſe quem enim locum baiuli & lenones frequentant nõ eſt celebris. & hinc uenit celebritas quæ tum hominum cœtum honoratum ſignificat tum dignitatem ipſam atq; honorem.

f erinum hominem qui animum ferinum obtinet: ut leonis: ferox qui peranimoſus eſt ad uim alteri faciendam.

f œnero tibi.i.do tibi pecuniam ad uſuram & ſic ĩtelligas de mutuo & mutuor.

f ingere proprie eſt figuli: qui formaſ ducit ex luto inde tranſfertur ad cætera quæ ingenio manuque hominis artificioſe formant͠: effingere ad alterius formam fingere & repreſentare: unde dicit͠ effigies: quæ eſt figura facta ad unam alterius ſimilitudinem.

f lere eſt lachrymis & tantum hominum gemere ẽ ĩ pectore cum præ anguſtia ĩ ſonum prorumpit. plorare eſt uoce flebili dolorem ſuum aperire. unde ĩplorare eſt plorando opem orare. plangere eſt percuſſione pectoris uel alioꝶ membroꝶ ſe in dolore affligere. Eiulare eſt uoce ſublata flere. uociferare eſt uoce effrænata dolorem & indignationem oſtendere. Lamẽtari eſt uoce querula & triſti oratione cladẽ ſuã teſtari.

f igo inde refigo quod fixum eſt: educo. tego ĩde retego quod tectum: denudo. texo inde retexo: quod textum erat reddo nõ textum: & quaſi infectum

quod erat factum. claudo ſiue cludo: recludo quod clau ſum erat: aperio: Velo reuelo: uelamentũ tollo. Signo reſigno quod erat ſignatum obſignatum ue: relaxo & patefacio. & multa huiuſmodi alia ſunt: ut repeto repo ſco: renouo. repræſento. remoueo. remaneo.

f erri proprie dicimus ut Caius inquit quæ qs cor pore ſuo baiulat: portari ea quæ quis ĩ mente ſe cum ducit: agi ea quæ animalia ſunt: aliquotiens fero accipitur pro porto & econuerſo. Ago autem nõ uno modo dicit̃. ſed de uno tantum non tacebo Marcialis libro primo epigrammatom: ſemper agis cauſas: & reſ agis Attale ſemper: eſt nõ eſt quod agas: Attale ſem per agis: Si res & cauſe deſunt agis Attale mulas At tale ne quid agas: deſit: agas animam. Celius ad Ci ceronem. Hortenſius cum has litteras ſcripſi: animam agebat. i. expirabat.

f erruminor ferruminaris ideſt glutino ſeu ligo: unde ferruminatio glutinatio iunctura ſeu ligatu ra. & ferrumẽ ideſt glutinum ſeu iũctura.

f œnora partem illam exteriorem ſignificant. fœ mina cuius ſingulare eſt fœmen: partem illam ĩ teriorem molliorem q; : quæ ſe cõtingunt: uel fœmora partem anteriorem. fœmina poſterierom.

f œnus proprie dicit̃ omnis fructus: quem ſolum terræ ꝓducere poſſunt.

G

g Eſta & acta in hoc differunt: quod illa ſunt ĩ adminaſtratione magiſtratus & in rebus

maioribus. & ad rem.p. uel ad plurimos ſpectantibus: ut geſta Alexandri: geſta Pompeii: Acta uero & rerum priuatarum & minorum & familiarium.

g remium eſt intra complexũ fœmorum fœminũue. quo ĩ complexu mulieres concipere ſolent: quare cum lactantur infantes: ad ſinum admouentur: pueri uero iam facti a ſedentibus matribus ad gremiũ excipi ſolent:

g radum facere nõ eſt tranſitum facere ſed aliquam rem & quaſi ſcalam ad alia facere: ut ſi in arborẽ feneſtrã ue aut tectũ ſcandere uelim. & ſaxo, aut ſcãno aut aliqua re gradum facio.

g ratulari eſt uerbo teſtari & gaudere felicitate aut fortuna alterius aut tua. & fere poſtulat datiuũ expreſſum uel ſubintellectum: ut gratulor tibi ob præturam adeptam. gratulor mihi. ĩ eadem ſignificatione accipitur grator: ſed poeticum: hiſtoricũq; eſt: & in poetis & hiſtoriis accipitur aliquando gratulor pro eo quod eſt grãs ago ſed tantũ diis ĩmortalibus.

g ratificari & gratum facio ĩ hoc differunt quod gratum facio idem proprie eſt quod obſequi & ĩſeruire: ut Cicero. Si hunc iuueris: gratiſſimum mihi feceris: gratificari autem proprie idem eſt quod beneficia conferre & deum gratificari hominibus dicimus. non autem gratum facere.

g raue ſuapte natura ponderoſum ſignificat. ut graue ſaxum. grauia arma: graue ſcutum: inde per tranſlationem non ſolum tranſferimus ad moleſtias

corporis: ut ſenectutem: morbum: laborem: dolorem: ut grauis ſenectus. uerumetiam ad moleſtias animi: ut grauis cõtumelia. ĩiuria: mœror. iactura: quæ animũ genere quodam ponderis premunt: & hic modus capitur ĩ malum. alter modus ẽ qui in laudem capitur: ut graues trunci nõ facile loco mouentur. ita homines præſtantes & præditi ſapientia & uirtute & merito graues nominant̃: quia neq; pretio neq; muneribus ab æquo & iuſto ſubmouentur. ut hi faciũt: quos leues uocam⁊.

H

h Iare eſt aliquid ſua ſpõte & ex alterna aliq̃ui diffindere. ut tellus æſtu. & ligna ariditate aut nimio calore hiant. hiſcere eſt tantum oris & quidem humani: accipitur quoque pro eo quod eſt loqui: aut os aperire ad loquendũ ſed fere cũ negatione ut corã me nõ auderes hiſcere.

h abui orationem dicimus & non feci orationem: feci ſermonem potiuſquam habui: nonnunquam tamen habui dicitur.

h abeo polliceri ſeu ad pollicendum: habeo cõueni re ſeu ad cõueniendum: habeo audire uel ad audiẽdum & ſic de multis aliis idem eſt quod pollicendũ. cõueniendum: audiendũ eſt mihi. & aliquotiens illud habeo capitur ꝓ uolo.

h iſtrio qui perſonatus inſcena tragœdias agit & comœdias uoce & corporis geſtu. Mimus eſt qui ĩtra uel extra ſcænam geſticulationes quaſdam exercet imitaturq; præſertĩ obſœne mores hominũ ac naturas.

I

i NStituta & inſtitutiones in hoc differunt. Inſtituta enim boni mores cõſilio ac ratiõe ſumpti. de inſtitutis antiquis quaſi de moribus antiquis Valerius. Inſtitutiones ſunt præceptiones quibus ĩſtituuntur & docentur homines. ut libri a Quintiliano inſcripti de ĩſtitutione oratoria. Indulgentia nõ pro uenia accipitur. ut multi accipiunt quæ uenia eſt remiſſio culpæ ſed pro cõceſſione quadã & ut ſic dicam pro tributione delicata. ut ĩdulgere gulæ noli quæ uentris amica eſt: bene econtrario uenia pro ĩdulgentia accipit̃ ut Ter. Da pater ueniam. & Cicero pro Archia. dabitis mihi hanc ueniam .i.ĩdulgebitis.

i ndoles eſt in pueris ſignificatio futuræ uirtutis: aliquotiens tamen capitur ĩ malam partem & eſt ſignificatio futuri iudicii: & transfert̃ ad inanimata ut Liuius. Sicut in frugibus: pecudibus nõ tantum ſemina ad conſeruandam indolem ualent: quantum terræ proprietas: cælique ſub quo aluntur: aliquotiens capitur pro generoſitate quadam animi.

i ncola q ĩ alterius: & ĩ aliena ciuitate: atq; re. p. habitat. inquilinuſ qui ĩ alieno priuato: proprie tam̃ in cõducto: Accola qui eſt iuxta aquas: & uadit ad colendum locũ: at qui ĩ montibus domos urbeſq; poſitas habitant: Incolæ dicuntur. qui iuxta montes: accolæ.

i ucũdus & gratus ſic differunt: quod iucundus ꝓprie ĩ proſperis: gratus ĩ aduerſis: Iucundum uoco qui nõ lætus eſt: ſed qui leticiæ eſt alteri: nã poteſt

quis triſtis eſſe & tamen iucundus.

i nfenſus uæhementer iratus: infeſtus uæhemen
ter moleſtus atq; ī aduerſum uadens: inde infe
ſtare īcurſibus crebris moleſtiam dare ſeu facere.

i n rem præſentem nō tempꝰ ſed locum ſignificat:
de quo cōtrouerſia eſt: ut Valerius Maximus li
bro ſeptimo Quintus fabius labeo arbiter a Senatu fi
nium cōſtituendorum ītra Nolanos & Neapolitanos
datus cum in rem præſentem ueniſſet: utroſq; ſepara
tim monuit.

i nuertere eſt quaſi ī contrarium uertere: ut interi
teriora ueſtis aut pellis aut aliaꝝ reꝝ exteriora
facere: præpoſtereq; uerba ꝓnunciare ut pro lauo uola.
Interuertere eſt rem aut cōmodatam aut depoſitam:
aut creditam callide doloq; ne domino reſtituatur: effi
cere. ut Cicero ī uerrem. Candelabrū quod rex egyp
ti Ioui capitolīo dono tulerat: ab Verre qui illud cōmo
dato a rege acceperat: īteruerſum eſſe cōqueritur.

i n manu eſt & in manibus eſt utrunq; accipitur ꝓ
eo quod eſt in poteſtate eſt: Vnde mancipium
& manumiſſio etiam dicitur. In manibus eſt ī alia ſigni
ficatione pro eo quod inter manus eſt ut Cicero. eſt in
manibus laudatio quam cum legimus: quem philoſo
phum nō cōtemnimus.

i ngredior quando ad locum dicitur nota ſignifica
tio eſt: quando in loco: idem eſt: quod ambulo
& incedo.

i ntercludo te ī interioribus cludo te: iter tuum ī

pedio & quaſi iter cludo . eadem etiam ratione dicimuſ interſepio .

i ter facere eſt itinerare : ut imperiti loquunt̃ . ut periti ingredi iter uel uiam . Viam facere eſt ubi nō erat uia ac tranſitus aperire. uiam inuenire eſt repurgare reficere & ſubſtruere īterdum lapidibus . & trāſfertur de corporeis ad īcorporea . Vt Quintilianus libro tertio. ꝓpterea quod plurimi auctores quāuis eodē tenderent diuerſas tamen uias ad ſcientiam munierunt . Iter habere eſt aliquem iter eſſe facturum.

i ncedere eſt ſublimiter ambulare & cum quodā faſtu. ut Seneca Tenero ac molli paſſu ſuſpendimus gradum : nec ambulamus: ſed incedimus. & inde uenit īceſſus .

i nſtar ſignificat ꝓprie ad æquiperationem uel ad menſuram . & ſi quando reperiatur proxime accedere ad ſignificationē ſimilitudinis admoniti ſimus : ut nimiam utendi licentiam deuitemus.

L

l ibertus & libertinus ſola elegantiæ gratia habent differentiam . libertinus relatiuum eſt ingenui: libertus relatiuum eſt patroni: licet unum idemqꝫ ſit & libertinus & libertus. nā libertini ſunt qui iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt. ideoqꝫ libertinus adiectiuum eſt ſicut ingenuus: ad quē refertur libertus ſubſtantiuum. ſicut patronus : & inde dicimus colliberti : collibertæqꝫ q̄admodum cōſerui cōſeruæqꝫ & collibertinitas non autē habemus libertitas.

l   udus & iocus ĩ hoc differunt : nam iocus ĩ uerbo
eſt. ludus in facto : frequenter tamen unum pro
altero ſumitur. ludus ita differt a luſu ſiue a luſione : nã
ludus tum periculum : tum ſpem ſibi propoſitam ha
bet. luſus nihil præter meram uoluptatẽ. Vnde Quin
tilianus. Nec me offenderit luſus in pueris. hoc tamẽ
ſupereſt : quod ſerio eſt contrarium ioco : ut idem
Quinti. uult. & eſt aduerbiũ. & etiam habemus ſerius
ſeria ſerium res facta uere cum grauitate.

l   ibertas in loquendo accipitur ĩ bonum : cum quiſ
nõ timide quod ſeruile eſt : ſed ingenue & libere
hoc ẽ ut liberum hominem decet : loquitur. licentia aũt
ĩ malum quando hac libertate abutimur uſque ad teme
ritatem & procacitatem. & hoc ĩ loquendo : in agendo
quoq; licentia eſt impunita quædam facultas agendi qc
quid uelis.

l   eges & iura differunt : leges enim ſunt aut prin
cipis aut liberi populi : quæ a rege cõduntur alte
rius cõſenſum non requirunt : quæ ad populum ferunt̃
ſine eius iuſſu ratæ non ſunt : quia rogari ideſt interro
gari populus de his ſolet : quare rogationes etiam dicũ
tur : Iura autem magis generalia ſunt. Ius aliud gentiũ
aliud ciuile. Ius ciuile dicimus tam leges q̃ plebiſcita :
Senatuſconſulta : decreta principum : reſponſa pruden
tum. quod ultimum uelut interpretatio eſt ſuperiorꝝ :
quod q profitent̃ : Iuriſconſulti nominant̃.

l   uctus eſt dolor qui exterius proditur uultu ipſo
atq; aſpectu. ſæpe ille ipſe habitus uultus atque

atq; ueſtis luctus eſt.

l ues & peſtis ĩ hoc differũt : nam lues eſt genus morbi corripiens ſiue ſolos homines : ſiue ſola pecora : ſiue utroſq;: Interdum etiam ſi arbores & ſata corripuerit. peſtiſ uero aut cito occidit: aut cito abiit q̃ eadem dicitur peſtilentia: Nonnunq̃ tamen pro lue ponitur atq; ad animi uitium ſæpe tranſfert̃.

l attebræ hominum proprie dicuntur : latibula uero ferarꝝ.

l uce & tenebris pro die ac nocte accipere ſolemus: differt tamen prima luce a prima die : nam ibi intelligit̃ prima pars diei & quaſi diluculo: hic aũt prima dies. ita primis tenebris & prima nocte. Ibi de prima parte noctis loqmur. hic de ipſa nocte.

l aſſum quod fatigatum eſt tam animo quã corpore : laxum uero magis ad inanimata quæ ſunt lenta : mollia : & flexibilia : non dura : ut laxi rudentes: laxi funes : laxæ cordæ. lapſus a labendo quod uel corpore uel per tranſlotionem animo & opinione labit̃. feſſus ideſt fatigatus ſed nõ ĩ totum : defeſſus in totũ defatigatus dicit̃.

